



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1719**

Titulus XXXI. De regularibus & transeuntibus ad aliam religionem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

## TITULUS XXX.

## De decimis, primitiis &amp; oblationibus.

**T**itulus quoque hic quò ad decimas integrè à me tractatus in foro benef. à quest. 464. usque ad quest. 499. ubi quest. 964. & duabus seq. de natura & divisione decimarum & jure, quo debentur q. 467. & seq. ex quibus rebus solvenda q. 469. & duabus seq. quando qualiter solvenda decima q. 473. usque ad q. 483. de personis, quibus & qualiter obvenire & deberi possunt decima q. 483. & duabus seq. q. 486. usque ad q. 494. de exemptione à solvendis decimis per

privilegium, consuetudinem, prescriptionem, transactionem, permutationem q. 494. usque ad q. 498. de pœnis & compulsionem non solventi decimas, deque iudice competente in causa illarum.

Primitiarum quoque materia compendiosè tractata à me in for. benef. p. 1. quest. unica nempe 499. De Oblationibus actum l. c. quest. 460. & tribus sequentibus, ubi quæsitum & responsum, quid sint an & quo jure, ex quibus rebus, & cui debeantur, quæ vide.

## TITULUS XXXI.

## De regularibus &amp; transeuntibus ad aliam Religionem.

## CAPUT I.

## De status religiosi origine, essentia, varietate, deque personis eum suscipere capacibus.

*Quest. 805. A quo & quo tempore originem suam duxerit status religiosus?*

**R**esp. Status Religiosus in latiore significatione acceptus pro communitate aliqua hominum, qui speciali vivendi ratione se cultui & servitio Dei dedicant, tametsi aliquis existeret in lege veteri, ut constare videtur ex Nazaritis, num. 6. in Elia & Elisæo, quos etiam habuisse & habitasse Collegia, colligere licet ex 3. & 4. Lib. reg. Tambur. etiam de jure abb. Tom. 1. d. 2. q. 1. referat Samuelem instituisse Conventus Religiosorum jugiter psallentium. D. quoque Hieron. Episc. 4. ad rusticum, dicat: filii Prophetarum, quos Monachos in veteri Testamento legimus; ædificabant sibi Casulas prope fluentia Jordanis, tametsi hæc ita sint, nullum tamen statum Religiosum verè ac propriè talem, seu in ea perfectione & modo vivendi sub votorum certarumque regularum observantia existisse in lege veteri, certum est, & cum communi asserunt Tambur. l. c. Mirand. in man. Pralat. Tom. 1. q. 3. a. 1. & 2. Sed primitus secundum se & quò ad substantiam suam institutum in lege nova ab ipso Christo Domino, exhortante ad tria consilia & vota desuper facienda, ad paupertatem quidem, Matth. 19. vade & vende omnia. Matth. 10. nolite possidere aurum & argentum. Ad castitatem. Matth. eodem capite. Sunt Eunuchi qui seipfos castraverunt propter regnum Cælorum, Ad obedientiam Matth. 16. qui vult venire post me abneget semetipsum, &c. consentiunt Catholici omnes, ac ita dici possit statum Religiosum quò ad substantiam esse de jure divino, non præcipiente, sed consulente cum Suar. Tom. 3. de relig. l. 3. c. 2. num. ait Pirh. b. t. num. 18. spectatus

verò status Religiosus secundum specialem modum vivendi juxta certas regulas substantiæ ipsius superadditum, non est immediatè ex institutione Christi, sed Ecclesiæ, tum statuentis certas condiciones, sine quibus vota religiosa, quæ sunt de essentia status Religiosi, ut talia acceptari non debeant, ad modum, quo Christus Sacramenta instituit, quò ad pertinentia ad eorum substantiam, relinquendo Ecclesiæ accidentalia determinanda. Suar. l. c. num. 6. tum conceptas à viris Sanctis Religionum Fundatoribus sanctiones seu regulas approbantis. qualiter acceptus status Religiosus statim ab Exordio Ecclesiæ assumi & propagari & coli cepit ab Apostolis, & aliis Christi Discipulis, uti eos fuisse veros Religiosos tradunt S. Chrystost. l. 3. contra monast. vitæ vituper. S. Hier. l. contra Jovinian. & apolog. ad Pamach. Platus. de bon. stat. relig. l. 2. c. 2. Donat. Tom. 4. tr. 1. q. 8. alligans D. Thomam. 2. 2. q. 88. a. 4. ad 3. Tamb. l. c. to. 1. d. 2. q. 9. & alii apud Reiffent. h. t. n. 19.

*Quest. 806. Qualiter status Religiosus in hac sua perfectione definatur?*

**1. R**esp. Definiri potest, quòd sit stabilis in communi sub jurisdictione alicujus Prælati, seu Superioris Ecclesiastici vivendi modus fidelium ad Christianæ charitatis perfectionem tendentium, editis tribus substantialibus votis perpetuæ castitatis, paupertatis, obedientiæ ab Ecclesiâ approbatus. ita ferè Laym. th. mor. l. 4. c. 1. n. 1. & ex eo Pirh. b. t. n. 2.

**2.** Dicitur primò: *stabilis vivendi modus*: siquidem ipsum illud verbum *status* quandam immobilitatem & perpetuitatem significat verè Religionis essentialem, dum Religiosus obligatur, quantum est

est ex parte sua in assumpto semel vivendi modo, observatione nimirum dictorum trium consiliorum Evangelicorum conformi certis regulis, constanter ad finem vitæ usque perseverare. Unde & hanc observationem firmati voto continente perpetuitatem necesse est, ut docent. D. Tho. 2. 2. q. 186. a. 6. Suar. Tom. 3. de relig. L. 2. c. 3. an. 3. Sanch. L. 5. mor. c. 1. num. 18. ita, ut non sufficiat nudum propositum aut etiam votum servandi dicta consilia præcindens à perpetuitate, vel extendens se ad determinatum tempus, sed requiritur, ut conceptum sit in totum vitæ tempus, ut Sanch. l. c. atque ita dari nequit religio propriè talis, in qua liberum sit Religioso iterum discedere, bene dicunt Pelliz. l. c. num. 17. q. 11. Pirh. h. t. num. 6. etsi dati possit, & de factò detur Religio, quæ non tenetur Religiosum perpetuò retinere, sed possit illum ob justas causas dimittere ut constat de Societate Jesu ex declaratione Julii III. in Bulla illius confirmatoria Societatis edita 1550. & Bulla Gregor. XIV. de anno 1591. idque absque eo, quòd talis contractus, quo Religiosus se tradit & obligat, perpetuò & irrevocabiliter Religioni ex parte sua, hac verò traditionem acceptet, non obligando se vicissim absolutè ad Religiosum retinendum, sed solùm, quàm diu ad commune bonum Religionis expedire judicaverit, sit iniquus; cùm contractus ille sit ex utraque parte voluntarius, adeòque pars utraque adjicere potest conditiones sibi bene placitas & convenientes aut necessarias, dum altera pars eas liberè ac prudenter acceptat. ita Suar. l. c. c. 14. n. 12. Sanch. l. c. num. 26. Less. L. 2. c. 41. num. 8. Pirh. l. c.

3. Dicitur secundo: *in communi vivendi*, ita ut, si quis nulli communitati adscriptus, in privato ac particulariter paupertatem & castitatem perpetuam voveat, vivatque sub obedientia alicujus Ecclesiastici, non sit adhuc Religiosus propriè, nisi hæc servans vivat in communitate aliqua, approbata à Pontifice, ita ut ex hoc capite neque sanctissimè olim, neque modò viventes Eremitæ fuerint veri Religiosi, aut etiam, qui hodie dedito voto perpetuæ paupertatis & castitatis obedientiam insuper vovent Episcopo vel Confessario extra Religionem seu Religiosam Communitatem, eique se tanquam Superiori subiciant, quia per tale votum non subicitur spirituali ejus jurisdictioni, aut ea ab illo acquiritur, ut mox dicetur. ita Arg. c. unic. de relig. domib. Sc. unic. eod. in 6. Suar. Tom. 3. de relig. tr. 9. L. 1. c. 2. num. 13. Laym. L. 4. tr. 4. c. 1. num. 2. Pelliz. l. c. q. 12. Donat. in prax. regul. tom. 4. tr. 1. q. 4. num. 8. Reiffenst. h. t. n. 8. Pirh. h. t. num. 17. qui tamen non bene addit ita esse spectato jure novo Ecclesiastico, quo secluso, & spectatà rei naturâ, veros esse posse & olim fuisse, qui vitam solitariam extra omnem hominum Congregationem editis tribus votis sub obedientia Superioris non Religiosi. v. g. Episcopi vivebant, qualiter etiam multæ Virgines ac viduæ privatam vitam domi suæ ducentes, editis dictis votis ab Episcopo velamen accipientes siebant Sanctimonialia & Religiosa. pro quo citat Suar. l. c. L. 2. c. 4. num. 3. & 4.

4. Dicitur tertio: *sub jurisdictione alicujus Prælati seu Superioris Ecclesiastici*, nimirum habentis potestatem, non solum gubernativam & quasi dominativam, æconomicam seu domesticam, quæ fundatur immediatè in traditione sui & voto ei præstito ad obediendum in omnibus ad regularem observantiam spectantibus, vi cujus potestatis impe-

rare potest subditis, eosque per pœnas temporales ad mandata regulasque Ordinis servandas cogere, & in hoc deficientes corrigere, ut Suar. cit. L. 2. c. 18. num. 6. & 8. verum etiam potestatem à Priore distinctam, quæ propriè est jurisdictionis spiritualis, nimirum pertinet ad claves Ecclesiæ, vi cujus potest ligare ac solvere, seu censuras Ecclesiasticas ferre, perque eas subditos coercere, quam non habet vi voti & immediatè à vovente; cùm nemo per votum ita se possit alteri subicere, ut ei in se istiusmodi jurisdictionem spirituales tribuat, sed derivatur ab ipso Superiore Religionem approbante, communicaturque etiam à Superioribus mediatis, puta Generali, Provinciali, Superioribus, inferioribus seu immediatis, nisi fortè eam Superiores mediati sibi reservaverint juxta Ordinis instituta, relicta inferioribus solâ potestate coercendi Religiosos per pœnas temporales, ut Sanch. cit. c. 1. n. 20. Et hanc potestatem jurisdictionis, saltem residentem penes aliquod supremum Ordinis caput, necessariam quoque esse ad perfectum regimen status seu Ordinis Religiosi, astruit Pirh. h. t. num. 8. juncto num. 9.

Dicitur quarto: *ad perfectionem caritatis Christianæ tendentium*, si quidem status Religiosus est via seu tendentia ad Christianam perfectionem, quæ in caritate Dei consistit. estque hæc tendentia, seu conatus & animus seu voluntas assequendi hanc perfectionem (non quidem per omnia media seu exercitia, quibus ad eam perveniri potest, sed per præscripta in ordinationibus & statutis Religionis, in qua quis degit, propriis, ut cum D. Thom. 2. 2. q. 184. & 186. Lezana. in summ. 99. regul. c. 1. n. 4. & 5.) de essentia status Religiosi. etsi ipsa perfectio habita de ejus essentia non sit. ita ut verè Religiosus non sit, & peccet mortaliter de communi Theologorum, qui etiam sine contemptu habet nudum propositum seu voluntatem non tendendi ad perfectionem, aut etiam universaliter non observandi statuta, & ordinationes sui Ordinis, tanquam media ad assequendam perfectionem præscripta ex tali animo non servat ea, etsi aliàs sub peccato gravi non obligent, vide D. Tho. & Lezan. l. cit.

6. Dicitur quinto: *editis tribus votis substantialibus*, utpote quæ sunt ipsa principalia & præstantissima media, sine quibus perfectio, quæ tanquam finis intenditur, obtineri nequit, & hinc de essentia Religionis etiam ex jure divino. Mirand. in man. prax. tom. 1. q. 1. num. 4. & 5. Donat. l. c. tom. 4. tr. 1. q. 4. num. 8. Reiffenst. h. t. num. dicens communem. Arg. c. cum ad Monasterium. de stat. Monach. dum ibi dicitur, quòd Papa, cùm manente Religioso non possit dispensare in aliquo ex tribus illis votis, ex ea etiam ratione, quòd Christus statum Religiosum instituens quò ad substantiam dicta vota requisiverit, ut ostensum supra. Porro vi paupertatis ad constituendum statum Religiosum requisitæ, necesse non est Religiosum reddi omnino incapacem domini acquirendi vel retinendi, sive ut eo privetur; sed sufficit, vi illius eum privari potestate utendi rebus pretio æstimabilibus vel de iis liberè disponendi sine consensu & licentia Superioris, & ut eo volente teneatur à se abdicare earum dominium. Less. L. 2. de just. c. 4. num. 27. Sanch. L. 5. mor. c. 1. num. 17. Pirh. h. t. num. 4. neque aliud intelligitur, dum in c. cum ad Monasterium. de stat. Monach. Dicitur de essentia status Religiosi esse abdicacionem proprietatis, nimirum illius, vi cujus retinens dominium rerum suarum possit liberè & independenter à voluntate Superioris de iis dispo-

nere,

tere, & de eo hodieum amplius dubitare non licet, postquam Gregor. XIII. in Bulla *ascendente Domino*. fecerit, eos, qui absoluto probationis biennio vota sua in Societate Jesu emittunt, esse verè & propriè Religiosos, non secus, ac Professos ejusdem Societatis, & alterius cujuscunque Religionis, etsi retineant ad tempus bonorum suorum dominium, donec iis renunciare jubeantur, ut re ipsa etiam quò ad dominium, quod de cœtero dicto modo vinculum se ita habebat quò ad effectum seu in actu secundo, ac si eo caruissent. Castitas verò status Religioso essentialis est absoluta, & non sufficit conjugalis, utpote quæ non est solius consilii sed præcepti. Less. *l. c. 9. 1. num. 7.* Laym. *cit. c. 1. n. 5.* Pirh. *num. 5.* Unde necesse est dicere, quosdam Ordines militares ab Ecclesia approbatos limitatam solum seu conjugalem castitatem profitentes, etsi fortè dicantur personæ Ecclesiasticæ quatenus gaudent privilegio canonis & fori, verè, absolute ac propriè non esse Religiosos, quia primaria Christi consilia non servant, sed solum secundum quid. Pirh. *l. c.* Reiffenst. *h. t. à num. 32.* citantes D. Tho. 2. 2. q. 186. a. 4. ad 3. ac dicentes esse communem Theologorum. Contrarium tamen nihilominus tenentibus apud eundem. Nav. *L. 3. cons. 11. h. t. & de redit. Eccl. q. 1. mon. 55. num. 5. & seq.* Sanch. *L. 4. mor. c. 16. num. 9.* Suar. *tom. 4. de relig. l. c. 4. num. 26.* qui tamen posterior, dum ibidem distinguit, dicendo, esse illos veros Religiosos quò ad statum, non quò ad usum & observantiam; eò quòd per dispensationem (intellige generalem) Pontificis ducere possint uxores, id inquam non capio, cum Papa videatur non posse dispensare in aliquo quòd est de essentia Religionis (quale quid est obligatio abstinendi ab omni actu carnali, adeoque & usu matrimonii) ita ut dispensatus maneat Religiosus, uti id ipsum sentire videtur. Pirh. cum Lessio, quem citat.

7. Dicitur denique: *Status ab Ecclesia approbatus*, intellige, ita ut non tantum modus vivendi simpliciter sit approbatus, sed etiam ut tanquam vera Religio sit approbatus, ita ut per illiusmodi approbationem constituatur in ratione status Religiosi, qualis ante illam non erat. Sanch. *cit. c. 1. n. 19.* Pirh. *h. t. n. 7.* quæ approbatio usu & more antiquo fiebat ab Episcopis seu locorum ordinariis pro Diocesis suis Papæ non repugnante, uti de quibusdam Ordinibus puta S. Basilii, Augustini, Benedicti ab initio non aliter approbatis testantur Mirand. *tom. 1. man. prat. q. 3. a. 6.* Rodriq. *qq. regu. q. 1. a. 1.* Pirh. *l. c.* apud Reiffenst. *num. 10.* postmodum tamen ea reservata fuit tanquam una ex causis majoribus soli Papæ, ut constat ex Concil. generali sub Innoc. III. relato in *c. ult. de Religio. domib.* item ex Concil. generali Lugdun. sub Gregor. X. relato *c. unic. eod. in 6.* idque ex ea etiam ratione, quòd religionum novitas & tanta diversitas confusionem in Ecclesia Dei causare, ac ita ei nocere posset.

*Quæst. 807. An & quæ dictorum votorum solennitas sit de essentia status Religiosi?*

1. Resp. Primò, utiliter prænotando aliqua; ac primò quidem, votum simplex aliud esse, quòd sit sine mutatione status nimirum, quòd continet simplicem promissionem Deo factam, etiam solâ mente conceptum, jure quidem per hoc acquisito promissario, absque tamen translato dominio & traditione rei promissæ, quale est votum castitatis in saculo emissum, vel etiam ingrediendi Reli-

gionem, utpote per quòd vovens se non tradit actu Religioni, nec transfert se in peculiare dominium Dei. Aliud est votum simplex, quòd fit cum traditione, verbis aliisve signis externis declarata, & acceptance ab Ecclesia ejusve ministris loco & vice Dei facta, & per hoc mutatur status hominis, quia fit verus Religiosus juxta *c. Bullam Gregor. XIII.* Secundò votum dupliciter dicitur solenne, nimirum primò minus propriè pro eo, quòd opponitur occulto, & fit publicè coram pluribus testibus, ad majorem probationem, vel etiam cum aliquo solenni ritu & ceremonia seu forma externa. Secundò propriè ac strictè, pro ut opponitur simplici etiam mutanti statum: estque illud, quòd ab Ecclesia nomine & loco Dei acceptatur, per quòd in peculiare Dei dominium statumque stabilem, & lege ordinaria perpetuum transitur, contractâ utrimque reciproca irrevocabili inter voventem & ordinem obligatione, quâ vovens seu tradens se Religioni cogitur ab ea non recedere, & Religio è contra eum perpetuò recipere & retinere, ac ita in hac reciproca obligatione consistit solennitas hujus voti. Ex qua deum tanquam radice proveniunt alii quidam effectus morales, puta quòd lege ordinaria & solâ dispensatione facta de plenitudine potestatis Pontificie inhabilis efficiatur ad dominium rerum temporalium acquirendum, aut matrimonium contrahendum, ita ferè ex Suar. *Tom. 3. de relig. L. 2. c. 5. num. 4. & seq. juncto c. 14. num. 10.* Pirh. *h. t. num. 13.* Tertiò: professionem quoque accipi dupliciter, primò, prout abstrahitur à votis simplicibus & solennibus, & dicit solam traditionem sui perpetuam per sua vota, acceptanceque illius ab Ecclesia nomine Dei factam. Secundò, pro illa dumtaxat professione, quæ omni modam indissolubilitatem ex utraque, & prædictas inhabilitates continet. Suar. *Tom. 3. de relig. L. 6. c. 1. num. 7.* & ex eo Pirh. *num. 15.* Quartò notandum, emissionem votorum, per quam quis efficitur Religiosus, etiam dupliciter sumi, primò, pro ut ea instituta à Christo, præscindendo ab institutione Ecclesiæ, quæ eis solennitatem addidit juxta *c. unic. de voto in 6.* & sic nihil aliud continet, quàm quòd dictum de votis simplicibus, nimirum traditionem sui perpetuam & acceptance Ecclesiæ absque eo, quòd hæc reciproca sit perpetua & irrevocabilis. Secundò prout substat dispositioni Ecclesiæ, quæ pro aliquo tempore, nempe à tempore Gregor. II. ad tempus Gregor. XIII. statuit, ut non nisi solennia vota à quibusvis Religiosis emitterentur, per quæ ea tantum quis efficeretur Religiosus, quòd decretum postea sustulit Gregor. XIII. dum approbant novam Religionem societatis, decrevit in ea etiam per vota simplicia aliquem effici Religiosum, ex quo quoque infert Suar. *l. c. L. 2. c. 11. num. 2.* posse Pontificem statuere, ut omnia vota Religiosorum constituta Religiosum, essent tantum simplicia, concedendo Superioribus Ordinum, ut possent incorrigibiles aut delinquentes in certis casibus dimittere, & à votis absolvere, etiam non obstante professione solenni antea ab iis editâ; cum solennitas non nisi constitutione Ecclesiastica introducta, his notatis.

2. Resp. Secundò: solennitas votorum non est de essentia illorum in Ordine ad constituendum verum Religiosum, constat ferè ex jam dictis in notabilibus, ex quibus etiam facile solvuntur, quæ in contrarium objici solebant, ut quòd, prout dicitur in *c. porcellum h. t. & in c. Religioso s. quamvis. de sent. excomm. in 6.* Religiosus fiat per professionem,

nem, professio autem non fiat nisi per vota solennia; hoc enim, si absolute intelligendum velint adversarii, referendum ad tempora antecedentia citatam Constitutionem Gregor. XIII. postquam non bene ex eo inferatur, quod non etiam fiat verus Religiosus emissionem votorum simplicium, item quod status Religiosus, qui constituitur per vota solennia, sit longe perfectior, quam qui constituitur per vota simplicia; quia magis stabiliter se quis per ea tradit Religioni, & arctius ei, adeoque & servitio Dei astringitur. nam id verum de majore aliqua perfectione accidentali & extrinseca, non vero de intrinseca & essentiali requisita ad statum Religiosum perfectione.

*Quaest. 808. An & unde sit Religionum diversitas & quotuplicis generis ea sint?*

**R**esp. Ad primum: tametsi Religiosi Ordines omnes convenienter essentialiter, hoc est in iis, quae spectant ad essentiam status Religiosi, nimirum in emissionem trium votorum, & tendentia ad perfectionem, qui est finis principalis & idem omnium, ut Suar. *Tom. 4. de relig. tr. 9. de variet. relig. l. 1. c. 1. num. 3.* Less. *L. 2. c. 41. num. 16.* accidentaliter tamen plurimum differunt, tum ex fine particulari, cuique ordini ex institutione illius proprio, tum ex mediis particularibusque exercitiis diversis, quibus unaquaqueque utitur ad tria vota substantialia observanda, finemque tam principalem quam particularem consequendum melius. D. Thom. *2. 2. q. 188. a. 1.* Suar. *l. c. Less. l. c. n. 17.* Pirh. *h. t. n. 20.* unde

**2.** Resp. Ad secundum primò: alia est Religio contemplativa seu monastica, quae ex primava sui institutione ac fine particulari exercet se in contemplatione rerum divinarum; alia activa, quae principaliter instituta & ordinata ad opera charitatis & misericordiae, sive spiritualia, sive corporalia exhibenda proximo. alia mixta, quae praeterquam quod meditationi seu contemplationi dedita, occupatur in operibus caritatis praesertim spiritualibus, seu procuranda salute animarum, docendo, concionando, Sacramenta administrando. atque ex hoc discrimine major minorve Religionum perfectio desumitur juxta D. Thom. *2. 2. q. 188. a. 1.* & Canonistas, *in c. sane. h. t.* cum vita contemplativa sit melior atque perfectior activa juxta illud Christi: *Illaria optimam partem elegit.* & vita mixta praesertim vitae contemplativae, & activa seorsum sumptis, ut D. Thom. *l. c. a. 6.* Secundò Religionum dividuntur in Clericales, Monachales, Mendicantes, Militares. Clericales sunt, quae principaliter ordinantur ad chorum divinae officia exacte peragenda, vel ad salutem animarum procurandam. Monachales, quae per se primò ad istiusmodi ministeria Clericorum non ordinantur, sed vitam purè contemplativam & solitariam profitentur. D. Thom. *l. c. q. 189. a. 8. ad 2.* Suar. *to. 4. de relig. tr. 9. l. 1. c. 7. num. 6.* ut constat *ex caus. 16. q. 1.* Mendicantes, quae vi instituti sui paupertatem in communi sectantur nulla possidentes bona immobilia, ex incertis elemosynis & largitionibus fidei, sive sponte, sive mendicato factis viventes, quales de jure communi antiquo approbati Ordines sunt Eremitarum S. Augustini, Praedicatorum, Minorum, Carmelitarum prout constat *ex c. unic. §. sane. de Religios. dom. in 6.* et si aliàs earum aliqua de facto tale genus paupertatis ex privilegio Sedis Apostolicæ, vel etiam consuetudine, tacito Papæ scien-

tis & tolerantis consensu approbata, non servant & nihilominus inter Ordines Mendicantes numerentur, ita Suar. *l. c. l. 1. c. 8. num. 3. & 4.* Azor. *p. 1. l. 12. c. 23. q. 8.* Pirh. *h. t. num. 22.* atque ita in specie Societas Jesu declaratur esse Ordo verè ac propriè mendicans per Bullam Pii V. quae edita anno 1571. 7. Julii. incipit. *Dum indefessè* idque non tantum ex privilegio, sed ex vi instituti sui juxta quod, ut dicitur in *cr. Bulla.* bona immobilia possidere nequit, uti id indubitatum de Societate professà ex confirmatione instituti Societatis, facta à Paulo III. anno 1540. & Bulla Julii III. de anno 1562. idemque disponitur de Coadjutoribus in constitutionibus Societatis. *p. 6. c. 2. num. 4.* quin & Societatem, prout complectitur scholasticos degentes in Collegiis, habentibus bona immobilia, redditus & census studentium necessitatibus & usibus applicandos, esse Ordinem propriè Mendicantem variis rationibus confirmat. Pirh. *num. 22. vers. solum ergo.* Quarum ea est primaria, ex qua ferè cetera deducuntur, nimirum, quod una eademque Religio non possit esse simul diversorum Ordinum, & diverso jure censerì, ne aliàs potius esset multiplex; scholastici autem una cum professis & coadjutoribus formati constituent unam Societatem. Unde non possunt scholastici Societatis dici esse Ordines mendicantis, sumptà denominatione à potiore parte totius corporis, & eam non impediante uno ejus membro seu parte integrali. v. g. in praesente hoc vel illo collegio, & scholasticorum congregatione, habente redditus & bona stabilia. Fagn. *in c. in praesentia de prob. in 6. num. 81. juncto num. 113. & 114.* Pirh. *h. t. num. 23.* Porro de Ordinibus Mendicantibus in particulari, quo tempore & à quibus singuli instituti, ad quos tanquam principales reducantur, & quorum regulis utantur. vide apud Barbof. *Jur. Eccles. l. 1. c. 41. à num. 20.* & Reiffenst. *h. t. a. 34.* Militantes, quae tribus votis substantialibus editis, vi proprii instituti per se primò ordinantur ad militandum pro defensione Christianae Religionis & Ecclesiae. quales sunt Melitenenses, seu Sancti Joannis Hierosolymitani, Teutonici & similes, quorum professos esse verè ac propriè Religiosos, cum communi Theologorum tenent Rodriq. *qq. reg. tom. 1. q. 5.* Mirand. *man. prel. to. 1. q. 10. a. 4. conc. 3.* Reiffenst. *h. t. num. 31.* cujus contrarium dictum est supra de quibusdam aliis ordinibus militaribus, servantibus ex instituto non nisi castitatem conjugalem. sunt & quaedam aliae Religionum hospitalariae, quae emissis tribus votis substantialibus, vi instituti sui ordinantur per se primò ad exercendam hospitalitatem, curando, expiando peregrinos gratis ex mera caritate erga Deum & proximos de quibus Pirh. *h. t. n. 24.* remittens ad D. Th. *2. 2. q. 188. a. 2. incorp.*

*Quaest. 809. Quinam capaces, & quinam incapaces ingredi Religionem?*

**R**esp. Religionem ingredi, seu Religiosi fieri possunt Christiani omnes, qui ex natura rei aut jure non prohibentur. Et quidem ex natura rei prohibentur infantes, furiosi & amentes; quippe qui propter defectum usùs rationis, & qui nunc supponit, consensùs & deliberationis vota religiosa emittere non possunt. D. Tho. *2. 2. q. 189. a. 5.* Sanch. *L. 5. mer. c. 4. num. 53.* cum communi. Qualiter verò, dum quis sanæ mentis ingressus religionem, tempore Novitiatus incidit in furorem, tempus furoris computetur in anno Novitiatus ex Sanch.

Sanch. *L. 3. mor. c. 4. num. 53.* resolvit. Barbof. *in collectam ad c. 15. h. t.* sic distinguendo, ut, si futuror sit citò transiens, qualiter contingere solet in phrænesi tempore morbi superveniente, duranteque v.g. per octo vel 15. dies, non impediatur cursum Novitiatus, neque id tempus transacto anno supplendum; secus, si esset dementia ordinaria, ut contingere solet in iis, qui nullo alio morbo laborant, & duraret diu v.g. ad mensem, pro quo remittit ad Suar. *Tom. 3. derelig. L. 5. c. 4. a. num. 3.* & ita tenent Sanch. *l. c. num. 34.* Pirh. *h. t. num. 34.* ex ea ratione, quòd, licet in tali casu annus probationis propriè non interrumpatur, cum, ut supponitur, talis in Religione manserit, interea tamen suspenderetur, ac veluti indormisceret sicut in simili præscriptio quandoque dormit. *per L. sicut. c. de præscrip. 30. annorum.*

2. De jure verò prohibentur primo ratione ætatis impuberes, hoc est, mares decimo quarto, femine anno duodecimo, minores nimirum, ut non nisi post annos pubertatis, id est, decimo quarto respectu maris, & duodecimo respectu femine Novitiatum inchoare possint. Azor. *Inst. mor. p. 1. L. 12. c. 2. q. 7.* Barbof. *ad c. 11. h. t. num. 5.* ita ut, licet ante illos annos expletos admitti quis possit ad Religionem, ut Sanch. *in decalog. To. 1. L. 4. c. 18. num. 8.* cui non contradicit Trid. *sess. 25. de regular. c. 15.* ubi quòd ad Novitiatus inchoationem ætatemque ad eam requisitam nihil statuit aut immutat, quàm olim statutum fuit. non tamen incipit esse verus Novitius ante expletam illam ætatem, ut Barbof. *l. c.* citatis Angel. Tabien. Sylv. Azor. & Sanch. *ubi supra Tom. 2. L. 5. c. 4. num. 21.* quin etiam in Societate Jesu nemo ad Novitiatum admitti potest à Provincialibus, aut is validè inchoari citra generalis dispensationem, ante annum decimum quintum, & post annum 50. impletum juxta *can. 9. Congregat. generalis octava & regul. 16. Provincialis.* Unde & vota simplicia Societatis edita ab ingressu Novitiatum ante annum 15. expletum sine dispensatione generalis, adeoque ante annum 17. valida non sunt. Sanch. *cit. c. 4. num. 26.* Pirh. *h. t. num. 27.* E contra verò Ordines Militares plerique Novitiatum ante annum 14. ingredi possunt, utpote qui post annum 13. impletum professionem emittere possunt juxta regulam suam, cum decreto Tridentini non comprehendantur, ut Wiestn. *h. t. num. 13.* citatis Azor. *p. 1. L. 13. c. 4. q. 2.* Sanch. *l. c. L. 5. c. 4. num. 17.* De cætero posse pueros impuberes (non tamen invitos ut Jo-And. *inc. 2. h. t. num. 2.* Butr. *ibid. num. 13.* Abb. *num. 9.* Cardin. *num. 2. q. 6.* Anchor. *num. 8. q. 3.* quos citat & quibus inherere videtur Barbof. *l. c. num. 4.*) à parentibus & tutoribus offerri Religioni seu Monasterio cum hoc effectu, ut puer non nisi post completam pubertatem resistere possit, si velit, tenent Sanch. *in præcept. decal. tom. 1. L. 4. c. 18. num. 9.* Suar. *tom. 3. de relig. l. 5. c. 1. num. 13.* de Vecchis. *in pr. observand. in admittend. ad relig. Novit. d. 2. du. 6.* Barbof. *l. c. num. 3.* juxta *c. 11. h. t.* Sed neque ante pubertatem adeptam posse illum resistere, etiam consentientibus iis, qui eum obtulerunt, repugnante tamen Monasterio, utpote quòd per eam oblationem jus acquisivit, ne impubes inde recedat, donec pubes sit, tenet Sanch. *l. c. num. 31.* apud Barbof. *inc. 2. h. t. num. 3.* posse autem hanc oblationem & revocationem fieri à patre, etiam invitis tutoribus, si quos habet, quin & à matre invitâ aviâ tutrice;

R. P. Leurr. *Jur. Can. Lib. III.*

item à patre invito avo, habente patrem & nepotem in potestate, imò etiam à matre transeunte ad secundas nuptias, asserit Barbof. *ad c. 11. h. t.* ex Sanch. *l. c. n. 16.* Quòd si autem impubes citra talem oblationem, & absque parentum aut tutorum consensu ingressus sit Religionem, possunt in hoc factum irritum reddere, & impuberem revocare (non tamen propriâ autoritate vimque inferendo eundem extrahere, sed àdeundo Superiorem. Sylv. *V. religio. q. 11.* Sanch. *l. c. c. 13.* Barb. *inc. 2. h. t. n. 5.*) nisi anno & die consenserint, quo elapso revocare nequeunt, incipiente hoc anno à die scientiæ ingressus habitæ à parentibus, quibus etiam longius ad revocandum tempus concedendum, dum Monasterium remotius est, quàm ut interea revocare potuerint. Sanch. *in decal. l. c. n. 10. & 11.* Barbof. *inc. c. 2. h. t. n. 2.* non tamen conceditur illis integer annus ad revocandum, sed id solum, quod superest usque ad pubertatem, quâ adeptâ cessat jus ad revocandum. Sanch. *l. c. num. 12.* Barbof. *l. c. num. 4.*

3. Secundò servus sine licentia Domini Religionem ingredi nequit, & si eo invito aut infcio ingressus intra triennium, quò ad Dominum ingressus istius notitia ad eum pervenit ab eo repetatur, restituendus est cum omnibus, quæ in Monasterium intulit. *Can. ult. 17. q. 2.* quia, cum sui juris non sit, injustè se subtraxit testati domini; triennio autem illo elapso, repeti amplius nequit, etsi Religionem nondum professus, *cit. can.* (quod tamen intelligendum videtur, si animo in ea profitendi sit ingressus) eò quòd dominus, cum posset, eum non repetens, juri suo renunciasse, vel etiam favore Ecclesiæ adversus eum præscriptis videatur, modò Religio bona fide ipsium receperit, ignorans esse servum, ita ut etiam tunc ad aliam compensationem domino non teneatur. *Arg. c. si quis caus. 17. q. 2.* licet aliàs servus fugitivus juxta *L. 1. c. de servo. fugit.* longo temporis lapsu usui capi non possit, ita cum *Gl. in cit. can. V. intra triennium.* Barbof. *ibidem a. num. 2.* Sanch. *L. 5. mor. c. 4. a. num. 42. & seq.* Pirh. *h. t. num. 129.* addit tamen Less. *L. 2. c. 41. num. 31.* intelligenda hæc de servo manente tali, & non de eo, qui per fugam ad suos consecutus est libertatem. Habere hæc locum non tantum in servis propriè talibus seu mancipiis, sed & in iis, quos jura colonos adscripticios & originarios vocant, quòd, tum hi glebæ seu fundo colendo adscripti, aut ex origine sua addicti sunt, inde avelli sine præjudicio Domini, adeoque eo invito, nequeunt juxta *cit. can.* tenent Sylv. *V. religio 2. q. 3. in fine.* Azor. *l. c. c. 1. q. 3.* Sanch. *l. c. num. 48.* Wiestn. *h. t. num. 3.* Pirh. *l. c.*

4. Tertio Episcopus, eò quòd matrimonii spiritualis cum Ecclesia sua vinculo (quod sine autoritate Papæ solvi nequit, *c. inter de translat. Episc.* solvi nequit) teneatur, sine ejusdem licentia Ordinem Religiosum ingredi nequit, *c. niscum pridem de renunc. c. licet 18. h. t.* quam licentiam petenti Papa concedere non solet, nec de jure debet, nisi ex sex causis, *cit. c. licet.* relatis aliqua adsit, & insuper facile haberi quis possit, qui illi Ecclesiæ æque bene præfuturus credatur; cum totius Diocæsis commune bonum privatæ illius utilitati spirituali sit præferendum: ita D. Tho. *2. 2. q. 185. a. 5.* Suar. *tom. 3. de relig. L. 1. c. 20. n. 7.* Castrop. *tr. 16. d. 1. p. 7. §. 1. n. 4.* cum communi.

5. Quarto conjux post matrimonium consummatum, nisi adsit causa perpetui divortii, vel alterius

Eccc

rius

rius conjugis licentia, c. 3. & c. 12. de convers. conjugat. ubi de hoc plenius.

6. Quinto oppressus gravi ære alieno debilisque ex delicto vel contractu oneroso uni pluribusve creditoribus obstrictus, dum spes est, ab eo, si in sæculo aliquamdiu perseveret, ex officii vel beneficii fructibus, vel arte aut industria suo statui conveniente acquirendis creditoribus satisfactum iri, ingredi interea Religionem non potest, nisi iisdem creditoribus consentientibus; eò quòd ad talia debita solvenda jure naturali ac divino, consilii evangelicis prævalente, teneatur. ita bene Wiestn. h. t. num. 6. juxta constitutionem Sixti V. quæ incipit: *Cum de omnibus*. editam anno 1558. Calend. Decemb. quæ tamen constitutio præter gravissimas pœnas, tam debitoribus, quàm illos recipientibus statuens, illorum quoque professionem, & ipsam susceptionem habitus annullat, per *Clem. const. 8. qua incipit. In suprema*, editam anno 1602. quòd ad dictam annullationem redactam esse ad terminos juris communis, nusquam irritantis talem professionem testantur Sanch. & Castrop. apud Wiestn. num. 7. Quòd si tamen spes non est plenæ solutionis, poterit debitor, cedens omnibus bonis, juribus & actionibus in favorem creditorum (qui tunc rationabiliter inviti esse non possunt, cum nemo ultra posse teneatur, & actio creditoris, quàm creditoris inopia excludit, juxta c. olim. de rest. spol. & L. 16. ff. de dolo. inanis sit) ingredi Religionem, D. Thom. q. 186. a. 6. Navar. comment. 2. de regular. num. 8. Donat. tom. 2. prax. regular. p. 2. tr. 3. q. 13. num. 4. quos sequitur Wiestn. h. c.

7. Sexto sic quoque obnoxii ratiociniis seu reddendis rationibus ex administratione rerum publicarum c. unic. dist. 53. Quin & privatarum, non quidem de jure antiquo, sed vi cit. Constitutionis Sixtinae, generaliter excludentis quoscunque ita obnoxios ratiociniis, ut ex hujusmodi causa lis vel molestia eis jam oblata vel inferenda timeatur, prohibentur ingredi Religionem, etsi eorum professio sit valida juxta jam dicta de debitoribus.

8. Septimò filii parentum non extremâ solum necessitate, sed etiam gravi, ita ut non nisi mendicando vel famulatum vel officium statui suo indecorum exercendo, sustentare se possint, laborantium sine propriæ salutis dispendio (quale esset,

dum liberi à parentibus ad malum vel peccandum inducerentur, aut ipsi sine gravi animæ periculo in sæculo manere non possent, ut D. Thom. l. c. q. 101. a. 4.) ingressum Religionis omittere, vel, donec illis prospectum sit, differre tenentur. can. 1. dist. 30. idque ex præcepto divino prævalente consilio, & juxta reprehensionem, Matt. 15. V. 4. à Christo factam Phariseorum, intuitu Religionis subtrahentium parentibus honorem & sustentationem debitam. ita cum communi D. Thom. q. 189. c. 6. Sylv. V. religio. 2. q. 7. Navar. in man. c. 14. num. 14. Sanch. l. c. L. 4. c. 20. num. 3. Suar. l. c. c. 5. num. 11. Cessante tamen tali necessitate parentum, iis invitis, liberi ingredi possunt Religionem juxta clarostextus juris, c. 2. caus. 20. q. 1. c. 12. h. t. Idem à potiore dicendum de parentibus prohiberi illis ingressum in Religionem ob curam, educationem, alimentorum præstationem, ab iis debitam filiis sub obligatione urgentiore, quàm quæ est filiorum erga illos; cum hi ad alendum patrem teneantur tantum per accidens ratione necessitatis, ii verò ad alimentationem & educationem liberorum, tanquam eorum principium per se & ratione muneris. D. Thom. Nav. ll. cit. Laym. L. 4. tr. 5. c. 4. n. 2. in fine.

9. Octavo criminosi, quibus propter enormes excessus publicos pœna publica. v. g. mortis, mutilationis, perpetui exilii, trirremium, fustigationis, aliæve timetur, juxta cit. Constitutionem Sixtinam, etsi ea per Constit. Clement. quòd ad nullitatem susceptionis habitus & professionis sit revocata ad jus commune, & relicta in vigore, quòd ad pœnas Superioribus eos admittentibus statutas. ut Tambur. de jur. Abb. L. 13. d. 6. q. 3. n. 11. apud Wiestn. h. t. n. 8.

10. Nonò corpore multum vitiati, aut valde deformes, quales sunt cæci, muti, surdi, deformiter claudi, aut gibbosi. quo etiam spectant leprâ, morbo gallico, morbo caduco infecti, omnesque infirmi & debiles, ut onera Religionis portare, muneraque ejus obire nequeant ut D. Tho. 2. 2. q. 189. a. 10. huc etiam referuntur hermaphroditi; quia & tales sunt corpore vitiati, & recepti in ordinem aliis scandalum præbere possent. Reiffenst. h. t.

num. 75.

## CAPUT II.

### De Novitiatu & Novitiis.

Quæst. 810. *Aqua etate inchoari Novitiatus possit?*

**R**esp. Præter ea, quæ desuper dicta, quæst. præced. n. 2. de jure ordinario (in quo, quòd ad hoc Tridentinum nihil innovavit) Novitiatus inchoari potest statim post annum 14. pubertatis completum, non obstant, quòd professio emitti nequeat ante annum 16. completum, neque enim opus est, ut annus probationis, immediatè præcedat professionem, sive ut Novitius expleto Novitiatu admittatur ad professionem, sed ob rationabilem causam vel impe-

dimentum finito Novitiatu differri potest professio. Less. L. 2. c. 41. num. 59. Sanch. L. 5. mor. c. 4. n. 21. Suar. Tom. 3. de relig. L. 5. c. 13. n. 8. Pirh. h. t. num. 27. His non obstante, quòd Trid. sess. 25. c. 16. dicat, ut finito tempore Novitiatus Superiores Novitios, quot habiles invenerint, ad professionem admittant, aut è Monasterio dimittant; nam loquitur, non absolutè, sed ex hypothese, nisi quid obstet, aut occurrat causa differendi professionem, ut in declar. concil. l. c. Gallemart. n. 7. Tales autem causæ sunt, si Novitius videatur diutius probandus, vel nondum de bonis suis disposuit, vel si in morbum inciderit, vel etiam hic ipse dese-

defectus ætatis, ac proinde tales, qui Novitiatum inchoarunt, statim post annum 14. adhuc in probatione erunt usque ad annum 16. completum, etsi de cetero Ordo non nisi unum annum requirat. Pirh. n. 27. in fin. Dixi: jure ordinario. nam quod in Societate Novitiatum inchoari nequeat ante annum 15. id speciale est juxta approbatas illius institutiones; uti & illud speciale est, quod Ordines Militares juxta regulam suam post expletum 13. annum admittere possint ad Novitiatum, & ante expletum annum probationis ad professionem, prout dictum quæst. præced. n. 2.

Quæst. 811. Tempus probationis quantum, & qualiter completum debeat esse?

**R**esp. Ad primum: quidquid de eo fuerit olim, dum regulariter quidem requirebatur annus juxta c. 1. caus. 17. q. 2. quandoque biennium, Arg. c. 6. caus. 19. q. 6. in viris militaribus etiam triennium, uti & in cognitis, ut statuitur. c. 4. caus. 17. q. 2. & ut Glof. in c. 1. caus. 17. q. 2. eadem V. unius anni puter tempus illud olim fuisse arbitrarium, longius vel brevius, habita ratione, an conditio hominis & vita esset cognita nec ne. Arg. c. ult. caus. 17. q. 2. aut dum etiam in c. 16. h. t. ab Innoc. III. requisitus unius annus partim in favorem Novitii, ut hic prius Religionis asperitates, Regulam & Institutum experiatur; partim in favorem Religionis, ut ea prius exploret mores & vitam illius, ita tamen utriusque partis huic favori renunciantis consensu ante expletum annum probationis professio emitti valide, aut etiam ex justis causis possit differri. Quidquid inquam de his olim fuerit, hodie tamen ob dispositionem claram Trid. sess. 25. c. 15. de regular. certum est, absolute & essentialiter ad valorem professionis in quacunque Religione, tam mulierum, quam virorum requiri præcessisse annum integrum probationis, ita etiam, ut per dictum consilium fuerit sublata dicta facultas mutuo renunciandi annua probationi. Navar. L. 3. conf. 62. h. t. num. 6. & seg. Sanch. l. c. num. 21. Suar. l. c. c. 12. num. 5. ubi, quod decretum illud Trid. ita declaratum per Congregationem Cardinalium & usu receptum. Excipiuntur hic iterum Ordines Militares, & Societas, in qua ad valorem votorum simplicium requiritur præcedens ea integrum biennium, ut constat ex examine general. c. 1. num. 12. Quamvis ut addit Pirh. h. t. n. 35. in fine. ex dispensatione præpositi Generalis hoc tempus ex causis non levis momenti prorogari & contrahi possit, modo id raro fiat juxta quod habetur part. 5. constit. in declarationib. lit. C.

7. Resp. Ad secundum: debet hoc tempus esse omnino completum, à momento in momentum, ita, ut, si vel una dies, imò hora etiam media, vel quadrans defuerit, professio sit nulla. v. g. dum sumpto habitu Novitiatum inchoatus 1. Maii horâ nonâ, professio facta sequenti anno horâ octavâ, ita cum communiore, securiore, juriq; conformiore, adeoque in praxi tenenda. docent Suar. Tom. 3. de relig. L. 5. c. 15. num. 1. Less. L. 2. c. 41. num. 9. Azor. Inst. mor. p. 1. L. 5. c. 28. Sanch. L. 5. mor. c. 4. num. 4. Barbof. ad Trid. sess. 25. de regul. c. 21. num. 2. Fagn. in c. ad nostram h. t. num. 19. & seg. Mirand. Tom. 1. q. 22. a. 3. concl. 2. Wiestn. R. P. Leurr. Jur. Can. Lib. III.

h. t. num. 25. Reiffenst. h. t. num. 94. contra Grat. discip. for. Tom. 3. c. 41. Barbof. de off. Epif. alleg. 101. num. 22. non tamen sibi ipsi satis constans. Pirh. h. t. 37. citans pro se Rodriq. Tom. 3. 99. reg. q. 15. a. 4. quem tamen Wiestn. pro contraria opinione citat, censentes sufficere annum completum moraliter; eò quod in favorabilibus ultima dies inchoata habeatur pro completa. Arg. L. à qua etate. 5. ff. de testam. Verum probatur responsio. ex verbis Trid. sess. 25. c. 15. dum ibi ad valorem professionis requirit, ne minore tempore, quam per annum in professione steterit; revera autem anno minus est tempus, cui ad completionem anni vel hora deficit, quò facit, quod ait Bald. conf. 458. num. 4. in fine. eà horâ finitur annus, quâ incepit. Probatur quoque ex jure communi. c. non solum de regularibus in 6. ubi FF. Minoribus districtè prohibetur, ne ad professionem recipiant ante annum probationis elapsum; jam verò patet, annum, cui vel hora deficit, necdum elapsum probatur etiam eà ratione: quodocunque quantitas & protractio temporis inducit & continet favorem illius (uti in præsentia protractio & completio temporis Novitiatum continet favorem tam Novitii quam Religionis, ut dicitur. c. ad nostram. h. t. & rectè inferitur ex c. non solum de regular. in 6.) annus vel dies aliudve tempus debet esse completum de momento in momentum. Arg. L. 3. §. 3. ff. de minoribus. ubi, quòd minor læsus in integrum restitui possit, etiam ultimo die imò momento anni 25. licet è contra, quando protractio temporis inducit odium, uti in præsentè casu non fit (& fieret. v. g. dum testaturo, cui interdictur per L. L. à qua etate. testari ante annum 14. expectandum esset ultimum momentum illius anni) dies cepta habeatur pro completa. Arg. L. 6. §. 7. ff. de usucap. L. in usucapione. ff. de divers. temp. prescript. Ad hæc quodocunque tempus statuitur & determinatur incipere ab aliquo actu, (uti in præsentè statuitur per Trid. tempus Novitiatum inchoari ab assumpto habitu) computandum est à momento in momentum, ut Fagn. l. c. n. 35. juxta clarum textum. L. 3. §. Minoribus ff. de Minoribus. Ac denique efficaciter probatur ex eo, quòd Congregatio Cardinalium Concilii Trid. Interpretum semper censuerit, annum Novitiatum à Trid. requisitum intelligi debere completum de momento in momentum, ut professio ante momentum ultimum facta sit nulla, prout videre est apud Barbof. in Trid. l. 1. & Fagn. ejusdem Congregationis Secretarium. qui l. c. in fine. refert binâ vice professiones factas anno Novitiatum ad momentum nondum completo ad Congregationem delatas, ab eadem habitas pro invalidis, etsi ad vitandos varios in Religionibus motus à publica declaratione abstinerit. ita Reiffenst. h. t. num. 97. qui etiam num. 102. ait, propterea in aliquibus Religionibus & Monasteriis professionem non emitti nisi post annum & diem ab assumpto habitu, uti etiam num. 98. dicit, in praxi securissimum esse, ut, qui Novitiatum inchoarunt. v. g. horâ septimâ, professionem emittant sequente anno eadem die, horâ 8. vel 9. cum agatur de valore rei, ad quem probabilis opinio DD. si à parte rei vera non est, nihil confert. Atque ex his jam inferitur, quòd, qui Novitiatum auspiciatus 24. Februarii, Festo S. Matthie professionem facere non possit sequenti anno, dum is est annus bissextilis ante diem 25. ut contra Henriq. L. 10. c. lit. x. Sylv. V. religio. 3. q. 19. §. 3.



Ricciu. & alios citati pro hac sententia à Barbof. in c. 16. h. t. num. 9. Rodriq. qq. reg. tom. 3. q. 15. a. 4. § 5. Bonac. de clasf. q. 2. p. 10. difficul. 2. §. 3. num. 4. Molin. de jus. tr. 2. d. 573. vers. atque ut & alii. Item Wiestn. h. t. num. 25. in fine. Ex e a ratione, quòd annus probationis is reputetur, qui taxatus est à Republica, in qua annum bis sextilem complet dies 25. dum eo anno duo dies quasi pro uno, saltem quando id favorabile est, reputantur. C. quasvrit. de V. S. L. cum Bissexus. ff. de V. S. uti etiam Concil. Trid. requirens annum probationis integrum, non intelligit annum solarem naturalem ultra dies 365. quinque horas & 49. minuta seu sex ferme horas continentem; sed annum civilem, vel etiam vulgarem & artificialem dictum, qui constat & absolvitur 365. diebus eò quòd in aliis quoque regulariter juxta praxin & consuetudinem ita accipiatur. Reiffentf. cit. num. 102. Porò quia in contrarium obijci solent, facile ex jam dictis diluuntur, & satis bene soluta vide apud Reiffentf. à num. 100. De cæterò pro limitatione responsionis notandum, quòd preced. num. dictum, posse tempus hoc biennialis Novitiatus in Societate ex gravibus causis contrahi per dispensationem Generalis, item quòd Moniales Ordinis S. Dominici post 16. annos expletos in articulo mortis constituta professionem valide emittere possint, etsi annum Novitiatus necdum compleverint ex privilegio iis concessò à Pio V. in Bulla qua incipit: *Summi Sacerdotis*. edita anno 1570. 13. Aug. quo privilegio quoque gaudere Novitios utriusque sexus cujuscunque Religionis, qui in privilegiis communicant cum Ordine Dominicorum, refert Mirand. in man. Prælator. Tom. 1. q. 12. a. 10. in fine. apud Pirh. h. t. num. 39. plures hujusmodi limitationes vide apud Sanch. L. 5. mor. c. 4. n. 15. quas tamen ipse non admittit.

**Quest. 812. Tempus Novitiatus, an & qualiter debeat esse continuum?**

**1.** Resp. Tempus hoc, ut valeat subsecuta professio, debet esse continuum seu non interruptum, Abb. ad c. ad Apostolicam 16. h. t. num. 9. Sylv. V. religiof. q. 4. Navar. sub h. t. conf. 2. num. 1. § conf. 34. num. 2. Azor. p. 1. L. 12. c. 2. q. 8. Less. L. 2. c. 41. num. 59. Sanch. cit. c. 4. num. 31. Suar. Tom. 3. de relig. L. 5. c. 15. num. 3. Fagn. in c. insinuante. qu. Clerici. vel vovent. testans Congregationem Cardinal. sic sepe declarasse, Professiones factas post annum Novitiatus non continuum, esse nullas. Pirh. h. t. num. 40. Barbof. de off. & potest. Epif. p. 3. alleg. 101. num. 23. § in collect. in c. 16. num. 5. citatis pluribus aliis. Reiffentf. h. t. n. 103. ex e a ratione, quòd, quando à lege aliave dispositione certum tempus ad aliquid requiritur, & intelligi debeat de tempore continuo, quale per se tempus est, nisi ex subjecta materia vel præsumpta voluntate disponentis contrarium colligi possit. ut Gutt. L. 1. can. qq. c. 12. num. 24. Pirh. Reiffentf. aliique AA. citati. idque vel maximè, ubi in dispositione requirente certum tempus apponitur *to per*, uti fit in decreto Trid. l. c. c. 15. quippe qua particula ex natura sua continuationem temporis significat, ut cum communissima Barbof. de decisionib. V. per Menoch. de arb. casf. 462. num. 7. Gonz. ad reg. Cancel. 8. gl. 9. in annot. 89. Mascard. de prob. concl. 1215. num. 2. Adducitur & alia ratio congruentia à Pirh. & aliis. quia nimirum præscribitur annus probationis, ut Novitius omnes asperitates Ordinis toto anno decurrere solitas experiatur, inter quas non est minima, asperitates illas continuo & sine inter-

missione perferre, sicut difficilius est per 40. dies continuo jejunare, quàm per interruptos. Unde jam inferitur, quòd, si Novitius vel ex delicto, aut inhabilitate ob morbum dimittatur, aut sponte exeat, de novo incipere Novitiatum debeat, etsi emendatus, aut sanitati restitutus, vel penitentia ductus brevi redeat, etiam si prius per 10. aut 11. menses aut diutius fuisset in Novitiatu. ut Reiffentf. h. t. n. 106.

2. Extenditur responsio juxta probabilem, ita, ut, si etiam per horas aliquot Novitius sine licentia Superioris discesserit à Monasterio, moxque penitentia ductus redierit, censetur sufficienter interruptus Novitiatum, ita ut is de novo inchoare debeat, & per annum continuari, prout sentiunt Reiffentf. h. t. num. 105. citans Fagn. l. c. num. 36. qui refert sic declarasse S. Congregationem in casu, quo Novitius ex Ordine Minorum discesserat, & duabus horis elapsis penitentia ductus redierat. item Navar. L. 1. conf. 32. h. t. n. 3. Sylv. l. c. s. q. 4. & Sanch. cit. c. 4. num. 32. idem sentientes ob rationes præc. num. allatas. idque, etiam si retento habitu excesserit, & foris illo intervallo regulam servaverit; quia non mansit sub jugo obedientia, ut Nav. & Sylv. LL. cit. apud Pirh. h. t. num. 42. restitutus Suar. l. c. c. 15. num. 6. id asserit de eo, qui dimisso habitu & animo non redeundi exivit, eadem die reversus; quia hoc ipso amittit statum, & eget nova receptione. Contrarium nihilominus, nimirum moraliter non interrupti Novitiatum per egressum ad tres vel quatuor dies, aliudve tempus modicum sentiunt Franc. Less. & alii apud Pirh. l. c. quibus & ipse consentire videtur, dum non tantum merito negari ait necessitatem illius nova receptionis, sed & expresse subjungit, cum hæc res jure non sit decisa in ea sententiarum varietate dicendum videri, quòd, si spectatis circumstantias, mora temporis, quo extra Claustrum Religionis mansit Novitius, modica sit, & paulo post purgata per regressum & penitentiam (per quod indicat se loqui de egressu animo non redeundi) Novitiatum moraliter interruptum censi non debet, quamvis, ut addit, rectius & plerumque consultius sit, ut saltem ad constantiam talis Novitii probandam, jubear Novitiatum de novo inchoare. Ad illud verò, quod asseritur Julium II. concessisse Minoribus, ut possint eorum Novitii annum Novitiatus semel interrupti per egressum istiusmodi voluntarum continuare, si redeant, & hoc privilegium per Tridentinum revocatum non esse, ut tueretur Rodriq. l. c. q. 15. a. 8. Respondet Barbof. in c. 16. h. t. num. 6. se non audere quicquam tale dicere, sed existimare se, illud revera revocatum esse; cum, licet olim, dum annus probationis non ita exactè requirebatur, hodie tamen rigidissimè exigatur per Trid. Novitiatum peragi per annum, & decernitur ex professione aliter facta nullam profus induci obligationem, citatque pro se Sanch. cit. c. 4. n. 35. & Mirand. l. c. a. 4.

3. E contra limitatur responsio. ita, ut, si Novitius de licentia Superioris cum habitu sine animo non redeundi exeat Monasterio per aliquod tempus. v. g. ad 3. 5. vel 6. menses sanitatis, vel peregrinandi; parentes invifendi, negotii alicujus tractandi causa, non ideo interruptatur annus Novitiatus, sed expleto eo professionem emittere possit, non secus, ac si toto anno continuo fuisset in Monasterio. Ricc. in pr. rerum. for. Eccles. decis. 510. in 1. edit. § resol. 392. num. 3. in 2. edit. Mendez. divers. jur. argum. L. 1. c. 85. Sayr. decis. 15. sub h. t. & alii quos



Gl. in c. unic. dist. 53. v. in suo. Sylv. v. religio. 5. 9. 5. Unde etiam in iis certum habitum à sede apostolica approbatum habentibus necessarium esse ad valorem novitatus ut is seu probatio à suscepto habitu in eodem per annum peragatur juxta quod statuisse videtur Trid. sess. 25. c. 15. de regular. his verbis: *nec qui minore tempore quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur.* teste Pirh. h. t. num. 29. communior habet sententia, quam tenet Gl. in c. super eo h. t. v. in eadem veste. Joan. And. ibid. Host. n. 3. Donat. tom. 2. prax. regul. p. 2. tr. 9. q. 14. num. 1. Sylv. l. c. Azor. p. 1. L. 12. c. 2. q. 9. Sanch. l. c. num. 29. Barbof. in c. 16. h. t. num. 7. in c. 11. h. t. num. 5. ex ea etiam aliquali ratione, quòd novitatus experiri debeat per annum asperitates, inter quas in quibusdam ordinibus una ex præcipuis est constans habitus delatio; tamen inquam id ita sit respectu istarum religionum, probabilis tamen est, loquendo in genere & abstrahendo ab iis earumque statutis, per se & spectatà rei naturà, ad probationem seu novitatum inchoandum & peragendum essentialiter non requiri susceptionem & delationem habitus religiosi, sed utrumque fieri posse in habitu seculari. ut cum Abb. in cit. c. super eo. n. ult. Suar. tom. 3. de relig. l. 5. c. 13. num. 5. Castrop. tr. 16. d. 1. p. 3. c. 12. §. 3. num. 1. Pirh. cit. num. 29. Wiestn. num. 22. eò quòd tempus probationis tunc incipiat, quando quis facta petitione, ut ad eam admittatur, accedente consensu & acceptatione prælati, suscipitur, ut in religione probetur, ad quod per se & suapte naturà non requiritur susceptio habitus, uti hæc patent ex constitutionibus Societatis p. 3. c. 2. §. 6. & Examine c. 1. §. 13. juxta quas ei certus habitus præscriptus non est; & novitatus peragi potest in veste seculari, ut cum Sanch. l. c. c. 4. num. 29. notat Pirh. cit. num. 29. & ut constat, inchoatur à primis exercitiis in quibus novitii per plures septimanas deferunt suas vestes saculares. neque his derogatum per Concilium Trid. ut bene Suar. cit. 13. num. 4. §. 5. cum non intenderit absolute statuere, ut seclusa etiam consuetudine, annus probationis non incipiat ante susceptionem habitus religiosi, sed ad summum voluit, ut ubi talis consuetudo est inchoandi novitatum à susceptione habitus, per annum à tali susceptione computandum, novitatus steterit in probatione. Addit quoque Pirh. quòd, si in religione aliqua habitus novitiorum sic distinctus ab habitu professorum, non pertineat ad substantiam novitatus, ita ut necessarium sit gestare illum ad hoc, ut dicatur in probatione stare; cum id ex nullo jure antiquo probari possit, nec quicquam per Trid. circa hoc innovatum, quippe in quo nulla sit mentio habitus proprii novitiorum. unde & in pluribus ordinibus idem est habitus novitiorum & professorum. vide de hoc Suar. l. c. c. 14. num. 10.

*Quest. 815. In quo loco peragendus novitatus?*

**R**esp. regulariter peragendus in monasterio seu domicilio religionis juxta c. 1. h. t. ita ut extra illud in sæculo valide peragi nequeat; eò quòd novitatus ad eum finem sit institutus, ut novitius religionis asperitatem & modum vivendi experiat, & religio vicissim de ejus moribus cognoscat, quorum neutrum haberi potest si extra religionem versetur in sæculo. Quod ipsum tamen limitandum nisi de legitima supe-

rioris licentia, etiam per potioris anni probationis partem, extra religionem versetur, dum sic censetur adhuc verè esse in probatione, cum in loco, ubi est, sit ex licentia & sub obedientia prælati, quo quodcumque revocante, paratus redire ad monasterium, alioquin nec mitti possit peregrinatum, aut ad serviendum in Xenodochio. quamvis expediat frequenter eum revocare, & intra claustra detinere & ita docent Nav. L. 3. conf. 32. n. 2. & seq. & comment. 2. de regular. n. 7. notab. 2. Azor. p. 1. L. 12. c. 2. q. 8. in fine & c. 1. q. 7. Sanch. L. 3. mor. c. 4. num. 2. idem dicens de monialibus novitiis. Suar. tr. 3. L. 5. c. 14. num. 13. Rodrig. tom. 3. q. 9. regul. 9. 15. a. 10. Mirand. in man. prælat. tom. 1. q. 22. a. 5. Barbof. in c. 16. h. t. num. 8. & de præf. Episc. cit. alleg. 101. num. 28. Pirh. h. t. num. 28.

*Quest. 816. An & qualiter novitii obligentur ad servandas regulas & statuta religionis superiorumque regularium præcepta?*

**R**esp. Quamvis decens sit hæc ab iis observari, non tamen per se directè in conscientia seu sub culpa ad eorum observantiam tenentur. Sylv. v. religio. 5. q. 6. Rodrig. l. c. q. 21. a. ult. Suar. tom. 3. l. 5. c. 16. num. 2. Sanch. de immunit. eccles. c. 9. dub. 3. num. 8. Pirh. h. t. num. 69. Wiestn. num. 40. Cum enim necdum regulam sint professi, nec ullis votis adstricti, non magis tenentur ad regulas & statuta ordinis, quam Catechumeni ad leges Ecclesie, donec per baptismum eam ingressi, & tanquam vera ejus membra recepti. neque etiam ex debito pariformitatis tenentur servare leges & præcepta professis imposita; cum debitum hoc non liget nisi illos, qui in eodem statu & professione sunt, in quo novitii non sunt, sed in probatione illius, dum solum intendunt illum experiri. ut Delb. l. c. quin tamen ad servandam pariformitatem illam teneantur, etsi non sub culpa, ex magna tamen decencia, negari non potest; cum æquissimum sit, ut, qui similem cum aliis vitam suscipiunt, & in perpetuum continuare intendunt, similem quoque sentiant in legibus disciplinam, quique cum professis iidem fruuntur privilegiis, eadem cum iis onera ferant & leges servant; tum etiam, quia alias convenienter à superioribus religionis gubernari ac ritè in ordine ad professionem institui (ad quod tamen suscipiendo habitum se tacitè obtulisse censentur) vix poterunt. Ad hæc diffinitas illa in servanda disciplina non levis causa esset turbatum, scandali & confusionis in monasterio, ad quæ cavenda cum teneantur directè sub culpa, sub eadem indirectè tenebantur ad servandas regulas, & ad non agendum passim iis contrarium. De cætero, licet novitii directè non subjiciantur regulis ac statutis ordinis, subjici tamen eos jurisdictioni spirituali prælatorum regularium non tantum in foro conscientie, sed & externo, quemadmodum clerici saculares Episcopo, ac proinde ab illis ob delictum puniri posse, eisque præcepta dari, etiam sub censuris, quibus obedire tenentur, non in vim voti, sed quia subsunt ejus jurisdictioni; tenent Suar. cit. c. 16. num. 18. Sanch. cit. 10. num. 11. & 12. Laym. L. 4. tr. 5. c. 4. num. 3. Pirh. h. t. cit. num. 69. Et hæc quidem dicta de jurisdictione certa videntur respectu prælatorum regularium emptorum; cum hi jurisdictionem quasi Episcopalem in suos subditos, etiam novitios, habent. Prælati

lati verò ordinum non exemptorum quantum jurisdictionem in novitios exercere possint, desumendum esse ex concessione Episcoporum & cujusvis ordinis consuetudine, ait cum Laym. *l. c. num. 4.* Pirh. *l. c.* uti etiam inde desumendum, an & qualem potestatem reservandi peccata, & ad reservatis absolventi habeant hi praelati, ait Wiestn. *b. t. num. 43.* cum eodem Laym. de aliis autem praelatis ordinum exemptorum etsi Laym. *l. c. Coroll. 4.* & Mirand. *tom. 3. pralat. q. 34. num. 16.* asserant, quòd facta ab eis reservatio casuum in religionibus aliàs usitata novitios plerumque non afficiat, existentiam tamen, quòd, dum novitiis suis confessarios designant, his limitatam & ad certos casus se non extendentem jurisdictionem, sicut respectu religiosorum, sic & respectu novitiorum concedere possunt, idque ex dicta eorum jurisdictione quasi episcopali, etiam in novitios deducunt.

*Quest. 817. Quibus juribus ac privilegiis gaudeant novitii?*

**R**esp. Primò in genere: novitii gaudent omnibus juribus ac privilegiis sui ordinis. Suar. *tom. 4. de regular. tr. 10. L. 9. c. 1. num. 18.* Pelliz. *in man. regul. tom. 1. tr. 2. c. 7. num. 1.* Dian. *p. 3. tr. 2. resol. 73.* Pignat. *tom. 4. consult. 119. num. 18.* Pirh. *b. t. num. 77.* Reiffent. *num. 115.* ac plerique alicujus nominis auctores; Eò quòd; cum sint sub potestate religionis, suoque modo ejusdem pars & membra etsi non inseparabilia, portentque onera illius, æquum est, ut quoque jura ejus & merita participent *juxta regul. 55. fur. in 6.* Et sic in specie gaudent indulgentiis, quibus gaudent professi Pelliz. Reiffent. *LL. cit.* Portal. *in dub. regular. v. novitius. num. 54. vide compend. privil. Societ. v. indulgentia.* & licet absolute & in effectu religiosi non sint, in favorabilibus tamen veniunt nomine & censentur jure religiosorum. Arg. *c. religiosi. §. quamvis. de sent. excom. in 6.* suntque in casu ecclesiastico constituti & personæ Ecclesiasticæ, ut præter cir. AA. decius *in c. in presentia. de prob. n. 188.* Jaf. *in auth. si qua mulier. c. de SS. eccles. ad finem.* Gutt. *qq. can. L. 2. c. 1. num. 107.* Suar. *de defenf. fid. L. 4. c. 29. num. 5.* Sanch. *cit. c. 10. num. 1.* Delb. *de immunit. Eccles. c. 1. du. 9. num. 5.* quia, ut Idem ait, hoc ipso, quòd ii more solito in religionem recipiuntur (cum mancipientur cultui divino & obsequiis religionis, vivant sub obedientia praelati, & faciant omnes observantias regulares, ita ut si in aliqua earum delinquant, à praelato puniantur) non est cur inter personas Ecclesiasticas non numerentur, quod ipsum juxta probabiliorum dicit de iis quoque, qui novitii formaliter non sunt, id est, post annos pubertatis admissi, & versantes in novitiatu, sed etiam de novitiis materialiter seu largo modo talibus, ut sunt admissi ante annos pubertatis. Unde jam

2. Resp. Secundò in specie: gaudent novitii primò privilegio canonis: *si quis suadente 29. caus. 17. q. 4.* ità ut, si quis violentas manus in novitium, etiam nullo ordine initiatum, injiciat, incurrat excommunicationem lætæ sententiæ, pro ut expressè statutum *cit. c. religiosi.* Suar. *de relig. tr. 3. l. 5. c. 11. num. 12.* Dian. *p. 6. tr. 8. resol. 7.* Sanch. *L. 5. mor. c. 4. num. 24.* Bonac. *d. 2. de excom. q. 4. p. 3. num. 7.* Bordon. *in cons. regular. resol. 28. num. 19.* Peregrin. & alii, quos citans ac sequens Delb. *l. c. num. 6.* ait, idem privilegium canonis explicitè concedi quoque dictis novitiis largo modo

sumptis. Secundò gaudent privilegio fori, ita ut à jurisdictione principum sæcularium quò ad forum judiciale eximantur, & coram judice Laico, neque in civilibus, neque in criminalibus causis conveniri valeant novitii religionis approbata. Azor. *p. 1. L. 42. c. 2. q. 11.* Sanch. *L. 6. mor. c. 10. num. 10. & 11.* Farin. *per crim. q. 6. num. 46.* Barbof. *de off. Episc. alleg. 12. num. 37.* Pirh. *num. 77.* Delb. *l. c. num. 1. & 6.* connexumque esse hoc privilegium fori privilegio canonis, ita ut, cui competit privilegium canonis, competat & privilegium fori, & contra, cum Dian. *l. c.* Suar. *de defenf. fid. l. c. num. 7.* Ellachin & aliis tradit Delb. *l. c. num. 7.* adeoque sicut illud, sic & hoc competere quoque dictis novitiis materialibus, ac ita conveniri solum poterunt novitii coram judice Ecclesiastico nempe praelato suo ab eoque puniri, dum monasterium est exemptum, si autem exemptum non est, etsi ob delicta privata commissa contra regulas & statuta puniri possint à praelato ob alia tamen non nisi ab Episcopo, ut cum Laym. *L. 4. tr. 5. c. 4. num. 4.* Pirh. *l. c.* quamvis alii ab eo citati, putata, Abb. *in c. cum contingat. de foro comp. num. 21.* Azor. *l. c.* Navar. *L. 2. cons. 4. & 5. de foro comp.* Sanch. *l. c.* velint indistinctè praelatum ordinis habere juris dictionem & potestatem cognoscendi, & puniendi suorum religiosorum, ac consequenter etiam novitiorum delicta, etiam graviora, saltem quæ dispositionem ab ordine non requirunt; non quidem de jure communi, sed ex speciali privilegio vel consuetudine. Extenduntur hæc dicta de privilegio fori, ita ut novitius ob delicta ab eo commissa ante religionis ingressum solum à judice Ecclesiastico cognosci debeat; eò quòd constituto Sixti V. vi cujus talis novitius habitu religionis spoliari, & à judice sæculari cognosci deberet, ac si religionem nunquam ingressus fuisset, moderata, per Clem. 8. teste Delb. *l. c. c. 6. & 11. 14. f. 4. num. 1.* ita ut vi illius talis criminosis ingressus fuerit validus ad hoc, ut talis novitius privilegio fori gaudeat, non secus acis, qui post commissum delictum statum clericalem assumpsit, à judice sæculari puniri non poterit, saltem in persona, sed ad summum in pecunia seu bonis, ut docet Bonac. *De LL. d. 50 q. 2. p. 1. §. 2. num. 6.* & alios non improbabiler omnino teneri à Marthæ *de jurisd. p. 4. cens. 2. cas. 121. à num. 22.* testatur Delb. *l. c. num. 2.* idque etiam, si in fraudem ingressus esset novitiatum, quamvis quò ad hoc aliud sit de eo, qui in fraudem assumpsit clericatum. Extenditur secundò juxta probabilem, quam tenent Delb. *l. c. f. 5. num. 1.* Bonac. *l. c. §. 5. num. 2.* citatique ab eo Abb. Clar. Sayr. & alii, contrarium tenentibus Molin. *de just. de jure. tom. 4. d. 49. num. 24.* Peregrin. *ad consil. Theatinor. p. 2. c. 5. lit. R. §. 1.* & aliis apud Delb. ita ut novitius dimisso habitu ob delictum tempore novitiatus commissum à solo judice ecclesiastico possit cognosci. An verò cogi possit novitius à praelato suo religioso ad luedam pœnam delicto suo condignam, dum re adhuc integra, id est, antè captum judicium, à religione discedere volens, non resolvit. Delb. *led. l. c. num. 3.* remittit ad Suar. *de relig. tom. 3. l. 5. c. 16. num. 8.* & ad De Vecchis *in prax. novitior. d. 11. num. 6.* Secundò gaudent novitii immunitate à tributis & gabillis; quia etsi redire iterum possunt ad sæculum, sunt tamen pars religionis, cujus personæ & bona, utpote Ecclesiastica, absque dubio immunita sunt à tributis, & inter personas Ecclesiasticas secundum dicta numerantur; tum etiam, quia ex receptissimo usu immunes sunt ab onere,

quò

quò ad personas, adeoque etiam ab onere quò ad bona sua; cum accidentale sequatur naturam sui principalis. His non obstante, quò bona novitiorum ad religionem non pertineant, ut pote quorum dominium retinent novitii: cum hinc non tollatur, quin sint bona personarum Ecclesiasticarum, et si patrimonialia, quò sufficit ad gaudendum privilegio immunitatis à gabellis. atque ita docent Molin. de *J. & J. tr. 2. d. 671. num. 2.* Sanch. cit. *L. 6. c. 10. num. 16.* Barbof. in *collecl. tom. 1. L. 3. tit. 49. c. 7. num. 11.* Diana p. 1. *tr. 2. resol. 37.* Turrian. 2. *tom. 2. d. 49. du. 4. num. 12.* Grass. de *effect. cler. off. 3. num. 131.* Bertach. *tr. de gabal. p. 7. num. 56.* Pirh. cit. *num. 77.* & alii, quos citat & sequitur Delb. de *immun. eccl. c. 1. dub. 9. num. 3.* extendens hoc ipsum, iterum *num. 8.* & 9. ad dictos novitios largo tantum modo tales, contrarium tamen apud eundem tenentibus in genere Tiraq. de *retract. §. 1. Gl. 8. à num. 31.* Lallarte de *decim. vendit. c. 19. num. 5.* Cutell. de *immun. eccl. L. 2. q. 38.* & aliis. Quid in hoc sit circa novitios ordinum militarium distinctorum ab ordine S. Joann. cujus professi extra omne dubium sunt verè religiosi, vide apud Delb. *l. c. dub. 11. à num. 5.* Denique ad eorum privilegia spectat, quò à proprio praelato ordinis per se vel per alios absolvi possint à casibus reservatis, & cum illis dispensari in votis, in observatione festorum, jejuniorum, recitatione horarum canonicarum, ad quas ratione ordinis tenentur. Castrop. *tr. 26. d. 1. p. 11. num. 3.* Pirh. *l. c. Wiestn. h. t. n. 45.*

**Quest. 818. Quo jure gaudeant ad obtinenda, retinenda, resignanda beneficia & pensiones?**

**1. Resp.** Ad primum: potest novitio validè conferri beneficium sæculare. Sanch. in *decal. c. 4. num. 22.* Castrop. de *benef. d. 1. p. 2. §. 5.* Garc. de *benef. p. 7. c. 10. num. 5.* cum sui juris maneat, neque per illius acceptationem renunciare censetur religioni; cum possit eo animo acceptare, ut, si religio non placeat, illud retineat, sin minus, professione facta vacet. Unde & illud cum alio permutare poterit. Sanch. *l. c.* Pirh. ad *lit. de prabend. num. 12.* quin ipsi conferri debet, si est primogenitus, & beneficium ex fundatione conferendum primogenito, vel differenda ejus collatio, usque dum professionem emisit. Sanch. *num. 23.* Castrop. *num. 6.* His tamen non obstantibus minus decens esse, ut novitio conferatur beneficium (intellige aliàs non debitum) nec detur ei ansa redeundi ad sæculum; asserunt Castrop. *l. c. num. 5.* Pirh. *l. c.* vide me in *for. benef. p. 1. q. 48.* fructus tamen beneficii præhabiti anno probationis percipere nequit; et si à residentia sit excusatus. Garc. *p. 3. c. 2. num. 341.* adeoque nec à tempore, quo illud de novo accepit, de quo tamen vide me in *for. benef. p. 3. q. 56.* Dixi: beneficium sæculare; quia ad prælaturam regularem neque in suo, neque in alieno ordine eligi potest novitius, saltem tacite non professus. *c. nullus religiosus. de elect. in 6. Gl. ibidem V. prælaturam.* Abb. in *c. fin. eod. num. 8.* Barbof. in *c. monasterium. de elect. num. 2.* potest tamen ad talem prælaturam postulari, si est necessitas, qualiter autem vocandus ad electionem extra ordinem faciendam canonicus novitius, vide me in *for. benef. p. 2. q. 308.*

**2. Resp.** Ad secundum: potest novitius præha-

bita beneficia retinere, nec ea vacant per ingressum monasterii. Lotter. de *re benef. L. 3. q. 26. à num. 10.* & *num. 24.* cum communi juxta quò constat ex *c. beneficium. h. t.* vide me in *for. benef. p. 3. q. 54.* ubi etiam *q. 55.* quò non vacent, si novitius ultra tempus confuctum prorogaretur, item *q. 56.* ad quem spectent fructus beneficii retenti tempore novitiatu & *q. 57.* an, à quo & qualiter administrandum beneficium tempore novitiatu. vide quoque de his Pirh. *h. t. à num. 70.* ubi etiam cum Sanch. *L. 6. mor. c. 10. num. 13.* quò pensiones Ecclesiasticæ habitæ à novitio in titulum non vacent ante editam professionem; quia æquiparantur beneficiis, & quò ad extinctionem sequuntur naturam beneficii.

**3. Resp.** Ad tertium quæ spectant ad resignationem & dimissionem beneficii videri possunt apud me in *foro benef. p. 3. ubi q. 326. num. 3.* quò ingressus religionem resignare nequeat intuitu religionis ingrediendæ, et si admittus jam sit ad ordinem item *q. 327.* quò ante professionem valide resignare possit beneficium, etiam ad cujus titulum ordinatus; & licet non habeat aliunde vivere. item *q. 328.* num ante duos menses antecedentes professionem beneficium non titolare, si aliunde habet vivere, item *q. 328. num. 3.* quò facta resignatio à novitio intra illos menses non requirat consensum superioris regularis item *cit. q. 328. num. 2.* quò novitius egrediens è religione post professionem nulliter factam non recuperet beneficium. Item *ibidem.* quò novitius regressus ad sæculum remanet cum beneficiis suis, etiam quæ sponte resignarat. Item *q. 54. & 328.* quò facta à novitio resignatio suspensa manet, donec emissa professio.

**Quest. 819. An & qualiter novitius disponere possit de bonis suis iisque renunciare?**

**1. Resp.** Primò: ad renunciationem (per quam hic intelligitur dispositio de bonis temporalibus, seu eorum cessio facta in favorem tertii irrevocabiliter, adeoque distincta à dispositione testamentaria seu facta per ultimam voluntatem vel donationem mortis causâ, adeoque revocabili, (de qua supra ad *lit. de testam. q. 624.* qualiter fieri possit à novitio) faciendam ante professionem nullo jure tenentur novitii, unde si eâ non factâ emitant professionem, vi hujus ordo bonorum possidendorum capax succedit in bonis eorum; alioquin hæredes ab intestato Sanch. *l. 7. mor. c. 12. n. 4.* Pelliz. in *man. privil. c. 7. n. 2.* Pirh. *h. t. n. 79.*

**2. Resp.** Secundò: potest nihilominus, si velit; disponere de bonis suis, iisque irrevocabiliter cedere, si id fiat ante ingressum religionis independenter à professione & nullo illius intuitu, nisi fortè donans aut renuncians esset minor, ut ad beneficium restitutionis in integrum haberet recursum, & extra casus *c. fin. de donat.* & in hoc facile conveniunt omnes, si verò fiat hæc cessio ante ingressum in religionem seu assumptionem habitus religiosi intuitu securitæ professionis, saltem ubi est causa principalis & finalis, ita ut eâ non secutâ, donata seu cessâ repeti possint, cessio est obnoxia revocationi & restitutioni; quia est donatio ex causa & sub conditione facta, vocans non secutâ, & conditione non impleta, non obtinet firmitatem; cum cessante causa, etiam finali, cesset effectus. *c. cum cessante. de appell. & deficiente conditione, actus resolutus, censæ-*

consecratur. *L. pecuniam ff. de reb. cred. & ita tenent Host. & Abb. in c. statimms. h. t. Jas. in auth. si qua mulier. c. de ff. Eccles. Rodriq. regul. q. 8. a. 2. Sanch. l. c. c. 1. à num. 2. quos citat & sequitur Wiestn. h. t. num. 48. Extendit hoc ipsum Pirh. num. 81. ita ut procedat etiam, dum secutura professio fuit causa cessionis solum impulsiva; quia nimirum ingressus absolute quidem vult renunciare bonis, eaque donare, quamvis non donasset, si religionem non ingrederetur, qualem intentionem presumi ait, si renunciatio non longe ante ingressum facta fuisset. presertim, si sit bonorum omnium aut majoris vel minoris vel notabilis, citatque pro utroque casu, nimirum quod irrita sit talis renunciatio, siue professio secutura fuerit causa principalis, siue impulsiva. Navar. l. 3. conf. 82. h. t. Mol. tr. 2. de usufr. d. 139. num. 14. Less. l. 2. c. 41. num. 42. Laym. l. 3. tr. 5. c. 7. num. 7. an verò comprehendantur istiusmodi renunciaciones factæ ante ingressum sub decreto Concilii Tridentini Sess. 25. de regul. c. 16. annullante factas ante duos menses proximos ante professionem, controversitur inter AA. affirmat tanquam probabile Pirh. l. c. cum AA. jam citatis, eò quòd Concilium loquatur absolute de factis ante dictos duos menses, præcindendo, an factæ intra vel extra tempus novitiatus, finisque ab eo in utrisque locum habeat, nimirum libertas egrediendi, dum ea æquè tollitur per factam renuntiationem ante ingressum, quam factam in novitiatu; cum in utroque casu æquè nequeat recuperare donata seu renunciata; adeoque æquè sit locus carendi necessarii ad vivendum, si egrediatur. Negant è contra æquè probabiliter, ut Pirh. inquit. Menoch. de arbitrar. censur. 5. cas. 436. num. 4. Sanch. l. 7. c. 5. num. 4. Valq. de testam. c. 6. §. 2. dub. 12. num. 50. Fagn. in c. penult. h. t. num. 42. ex declar. Cardinal. conc. eò quòd Conc. expressè loquatur tantum de renunciacione facta tempore probationis ut rectè colligitur ex connexionè c. 16. cum 15. ut bene extendit Pirh. adeoque, cum decretum hoc illius irritans sit correctorium juris communis, utpote aufferens liberam facultatem disponendi de bonis propriis, extendendum non sit ad casum similem non expressum, etiam ob paritatem rationis juxta c. 28. de R. 7. in 6. juxta Gl. His non obstante, quòd lex etiam pœnalis & exorbitans à jure communi extendi possit ad alium casum non expressum, si aliàs lex illa frustraretur sine suo juxta c. si civitas de sent. excomm. in 6. cum id solum procedat, si etiam ea, ad quæ fit extensio, commodò comprehendì possint sub verbis legis prohibentis, qualiter verba Decret. Trid. adoptari non possunt renuntiationibus factis ab existentibus adhuc in sæculo; cum loquatur de iis, qui habitum susceperunt, adeoque jam sunt personæ Ecclesiasticæ. ita cum Fagn. l. c. num. 2. & seq. Pirh. l. c.*

3. Resp. Tertiò: renunciaciones ab existentibus jam in novitiatu, intuitu secuturæ professionis factæ conformiter decreto Trid. validæ sunt, secus, si factæ aliquo eorum, quæ circa hoc statuit, omisso; siue de cætero ea fiant à novitio ante annum 16. ætatis siue post illum expletum, ut expressè Pirh. num. 82. cum nulla à Trid. præscribatur ætas huic renunciacioni huic (quæ sunt verba Trid. cit. c. 16.) nulla renunciatio aut obligatio, etiam cum juramento, vel in favorem cujuscumque causæ pia valeat, nisi cum licentia Episcopi vel ejus Vicarii fiat intra duos menses proximos ante professionem; ac non

aliàs intelligatur effectum sortiri, nisi secuta professione; aliter verò facta, etiam si cum hujusmodi expressa renunciacione, etiam jurata, irrita sit, & nullius effectus, æquo decreto excipiuntur etiam per ipsum Concilium expressis verbis; candidati & novitii Societatis Jesu, ita ut renunciaciones bonorum & jurium ab iis factæ conformiter constitutionibus ejusdem societatis, nimirum vel ante ingressum vel post primum annum probationis, aut etiam post edita vota simplicia, quodocunque superior jubet eos abdicare se bonis sine spe ea recuperandi, sint validæ. de quibus vide Less. l. c. cit. c. 4. num. 41. Sanch. l. c. num. 9. Laym. cit. c. 7. num. 10. Pirh. h. t. num. 74. De cætero circa hoc decretum notandum primò, sub nomine renuntiationis comprehendì donationem inter vivos, ita ut ea facta sine forma in eo præscripta sit irrita; cum & ea sit species quædam renunciandi cum effectu non revocandi, adeoque & ipsa impediatur libertatem novitii ad egrediendum. ita Mol. cit. d. 139. num. 15. Menoch. l. c. num. 7. Sanch. l. c. num. 20. Pirh. num. 85. Item datio novitii, dum ex bonis novitii monasterio datur aliquid sub titulo mutui, quo rei mutuatae dominium & usus ad notabile tempus transfertur ad illud; cum in ea includatur virtualis donatio, non quidem absolute, sed sub conditione, si novitius perseveret; utpote quo perseverante cessat obligatio restituendi ex mutuo. adhuc in eo recuperando saepe sit difficultas, adeoque & hac ratione impediatur libertas egrediendi. Pirh. num. 86. cum Suar. de relig. tr. 3. l. 5. c. 9. num. 16. Item dimissiones officiorum publicorum temporalium, ex quibus habebatur lucrum, remissiones fidejussionis, liberationes à ratiociniis reddendis, quibus alius ei obstructus. Menoch. de arb. cas. 436. num. 7. Sanch. l. c. Barbosa ad Trid. cit. c. 16. à num. 3. quos citat & sequitur Wiestn. h. t. num. 51. idem probabiliter dicens de renunciacione beneficii ecclesiastici, in summa obligationes omnes, quibus bona aut jura novitii notabiliter minuuntur, aut minùs recipitur, quam datur. ut AA. idem; adeoque contractus omnes respectu aliorum lucrativi. v. g. si fidejubeat alio; etiam pretio accepto, dum exposuit proprium patrimonium periculo jacturæ sine spe æqualis lucri, siue, quòd tantundem recipiat. Pirh. num. 86. cum Sanch. l. 2. mor. c. 5. n. 34. Secus, ut Idem eod. num. 32. est in contractibus reciprocis utrimque ferè æqualiter onerosis; nempe venditionis, permutationis, locationis, utpote in quibus cessat finis decreti, ne nimirum novitius amissis suis bonis vel magna eorum parte; cogatur emittere professionem. sic quoque à dicto decreto excipiuntur & validè sunt sine dictis solemnitatibus primò, dum à novitio datur aliquid pro victu suo & vestitu pro ut ipsum Tridentinum lit. c. 6. hoc excipit. Secundo si ultra victum & vestitum monasterio aut alteri personæ licet donatio modica spectatis facultatibus novitii fiat; quia per hoc non datur novitio occasio non discedendi, adeoque libertas egrediendi, quæ erat finis istius decreti prohibentis, ei non adimitur. Sanch. l. c. num. 22. Idem est, si quid pro convivio sub ingressum impendatur, aut etiam Deo offeratur; si magni momenti non sit, ut Idem num. 28. Tertiò si parentes aut amici novitii etiam magnà quantitate dent monasterio, ut benevolentius tractetur; quia Concilium requirit, ut donatio fiat ex bonis novitii, cum aliàs largitio

eorum non pertinentium ad novitium, & ab eo per egressum non recuperabilem, non obstat ejus libertati egrediendi. Pirh. cit. num. 75. cum Suar. l. c. nisi tamen ista largitio computetur in legitimam novitii; cum tunc non tam parentes, quam filius censeretur donationem illam facere ut Sanch. l. c. n. 23. Laym. l. c. c. 7. n. 5. in fine.

5. Notandum secundo, dum in decreto licentia Episcopi ejusve Vicarii requiritur; nimirum eo sine, ut cum Sanch. & Rodriq. Pirh. excludantur fraudes, metus, preces importunæ, quibus induci posset novitius ad relinquenda bona monasterio; cum licentia iudicis impediatur præsumptionem fradis juxta *L. ult. ff. quod metus causa.* nomine Episcopi venire etiam alios prælatos jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, nullique Episcopo in suo territorio subjectos, & nomine vicarii vicarium generalem. Sanch. l. 7. c. 5. num. 68. Delb. de immun. Eccles. c. 14. du. 12. num. 10. Barbof. de off. Episc. alleg. 99. num. 6. Pirh. num. 88. & hanc potestatem dandi istam licentiam, cum sit ordinaria & annexa eorum officio, non personæ, delegare possunt alteri. Venit quoque capitulum sede vacante, utpote succedens Episcopo in jurisdictione ordinaria; quin & vicarius capituli. Delb. l. c. cum Sanch. l. c. num. 67. etiam videtur dare posse hanc licentiam sine speciali mandato capituli; cum non sit ex arduis. vide me in *vicar. Episc. q. 592.* Non verò veniunt ipsi prælati regulares, etsi exempti, ut probabilius cum Sanch. l. c. num. 74. & Rodriq. tom. 2. qq. reg. q. 48. a. 14. Pirh. l. c. Dicens, hunc esse unum ex casibus, in quibus regulares aliàs exempti subjiciuntur ordinariis, quamvis, ut Idem cum Sanch. num. 25. & Rodriq. l. c. petitioni illi licentiæ in quibusdam monasticis per contrariam consuetudinem sit derogatum; ubi autem viget, non sufficit petitio licentiæ, sed requiritur ea obtenta; non tamen necessario in scriptis, uti nec datio illius expressa, sufficiente tacita habitâ ex ratihabitione, non quidem de futuro (quippe quæ non sufficit, dum requiritur ad valorem actus, nisi fortè is fieret sub conditione ratihabitionis subsecuturæ) sed de præsentate Sanch. l. c. n. 79. Pirh. n. 88. in fine.

6. Notandum tertio, quòd, dum dicitur, faciendas renunciaciones intra duos menses proximos ante professionem, non requiratur, ut fiant integro semestri ante professionem, sed sufficiat illas fieri etiam immediatè ante illam, idque etiam fortè congruentius fini Concilii volentis differri renunciaciones usque ad duos ultimos menses probationis, ut nimirum fierent majore consilio & deliberatione, ut Sanch. num. 80. unde & validæ erunt, si fiant immediatè ante professionem, casu quo ex justa causa ea ulterius post completam jam à novitio atatem absolutumque probationis annum differatur. Pirh. Suar. 89. uti & valebunt, si fierent tribus vel pluribus mensibus ante professionem ita dilatam; cum Concilium solum intenderit, ut renunciaciones fierent intra duos menses proximos professioni de jure emittenda; utpote non secus ac aliæ leges respiciens ea, quæ communiter & ordinariè non quæ per rard & per accidens tantum contingunt. juxta *L. 5. ff. de LL.* unde dilatâ ultra consuetum tempus professione propterea differenda necessariò (etsi, ut jam dictum, differri posset) non est renunciatio, & ita tenent apud Wiestn. h. t. num. 64. Barbof. & Donat. referentes sic declaratum à *Congreg. Cardin.* An verò è contra quoque, dum ex dispositione pontificia abbre-

viaretur novitius & concederetur fieri professio v. g. nono mense illius, vel à minore 16. annis, sufficiat fieri renunciacionem intra bimestre ante illud tempus. v. g. intra mensem septimum & octavum, ad initium etiam mensis septimi, in eo inquam, non ita conveniunt AA. affirmari id non omnino improbabiler, asserit Pirh. cit. num. 89. vers. porro etsi. & tenet Wiestn. num. 65. citans Castrop. tr. 16. d. 2. p. 17. num. 9. ex ea ratione, quòd, etsi dispensatio sit stricti juris, extendenda tamen sit ad connexa, ut cum communi Sanch. l. 8. de Marr. d. 1. num. 19. probabilius tamen dici, non posse eam fieri, nisi ad finem dicti bimestris, nimirum vel eodem die professionis, vel die eam præcedente. ut Sanch. l. 7. mo. c. 5. num. 83. ex ea ratione, quòd, cum in hoc casu renunciatio fieri nequeat intra tempus à Concilio determinatum, nempe mensem 11. & 12. anni probationis, & sic derogeret Concilio, & post professionem amplius fieri nequeat, curandum sit, ut quàm minimè potest, Concilio derogetur; adeoque ut fiat proximè ante professionem. His non obstante ea dispensatione, utpote quæ tantum extendenda ad accessoria connexa inseparabiliter, qualiter non connectuntur, & unum ex altero non sequitur, professionem per dispensationem anticipando consuetum tempus. v. g. Ad bimestre fieri posse, & renunciacionem vi istius dispensationis fieri posse, similiter anticipatò ad aliud bimestre ultra prius bimestre dispensativè concessum Concilio, dum statuit eam faciendam intra bimestre proximè antecedente professionem, loquente de professione, quæ fit tempore ordinario, non de ea, quæ fit dispensativè, anticipando illud tempus.

7. Notandum quarto. Tametsi renunciatio facta secundum præscriptum Tridentini valeat & à novitio revocari nequeat, ante professionem. si eam facere & in religione permanere velit, ut Pirh. num. 92. cum Sanch. cit. c. 5. num. 58. eò quòd sicut omnes contractus, etiam lucrativi, qualis est donatio, conditionati revocari nequeunt conditione pendente, ita & hæc renunciatio bonorum facta à novitio, utpote continens hanc tacitam conditionem: si miserò professionem; sive ut non habeat effectum, nisi secutâ professione, revocari non potest ante professionem; priusquam ea facta, pendeat conditio, sub qua facta; absolutè tamen revocari potest semper ante professionem, & actu revocatur, dum novitius concipit animum non proficendi, & actu non proficulus deserit religionem; quia corrumpit seu non impletur conditio. Idemque est ex eadem ratione, quòd corrumpat renunciatio juxta probabiliorem, quam tenent Rodriq. l. c. q. 2. a. 2. Sanch. cit. c. 5. num. 49. aliique apud illum. item Pirh. h. t. num. 91. Wiestn. h. t. num. 66. si novitius post factam juxta præscriptum Trident. renunciacionem moriatur ante professionem; dum Concilium loquatur generaliter, dum expressè dicit: *ac non aliàs*: intelligatur effectum sortiri, nisi secuta professione, intellige, ex quacunque causa hæc non sequatur. ac proinde novitium factâ jam ritè renunciacione, hac non obstante, in eventum mortis ante professionem de bonis renuntians testari posse, vel mortis causâ donare, docet Nav. in *can. non dicatis* 12. q. 7. n. 49. Quod si non faciat, vel nisi renunciacionem factam monasterio alterive cause piæ ratam esse velit, etiam in casum mortis, censetur intestatus decedere, succedentibus illi proa-

proavis, consanguineis. Wiestn. l. c. cum Riccio prescriptum valere secuti professione, & ita tenent Sanch. l. c. num. 55. Pirh. l. c. aliique apud Barbof. juris Eccles. L. 1. c. 42. num. 238. Nihilominus ratificata ex post tali professione invalidè facta, ratificari quoque renunciationem ante illam factam, nisi forte professio fuerit invalida ob defectum ætatis, in quo casu uti professionem, ita & renunciationem esse & remanere invalidam, siue renunciants necdum impleverat 15. annos & decem menses, adeoque eam confirmari nequire seu convalescere per subsequentem legitimam ætatem & aliam professionem, docet Sanch. l. c. num. 56. Pelliz. in man. pral. tr. 2. c. 9. q. 22. num. 49. & 50. quos citat & sequitur Pirh. cit. num. 91. in fine. De cætero valere renunciationem bonorum factam etiam personæ privatæ intuitu Religionem ingrediendi, vel etiam post ingressum à Novitio minore 25. annis sine autoritate curatoris & decreto Judicis aliisque solemnitatibus jure civili requisitis, docet Sanch. L. 7. mor. c. 6. num. 19. & cum eo Pirh. num. 93. Arg. c. de his, de sepult. ubi, dum dicitur, volentibus transire ad loca Religiosa liberum esse bona sua non solum Religiosis, sed etiam quibuslibet personis conferre, per tamen liberum importari idem, quod sine alterius autoritate, licentia & dispensatione, ait Gl. recepta in Clem. 2. de jurep. v. liberè, valori illius, etiam factæ à Novitio 16. annis majore ante duos menses proximos ante professionem, non obstante decreto Tridentini, utpote talis dispositionem non comprehendente, apud Wiestn. h. i. num. 58. docent Faustus, Thefaur. L. 2. forens. q. 56. num. 7. & Menoch. contrarium tamen quò ad hoc, seu non valere in eo casu renunciationem, donationemve bonorum factam à Novitio, etiam 25. aut 30. annis majore, rectius tenent cæteri, aut saltem plerique, ut inquit Wiestn. alicujus nominis DD. Barbof. etiam de off. Episc. alleg. 99. num. 19. Donat. & aliis testantibus, sic declaratum à Congregat. Card. interp. Trid. eò quòd Concilium loquatur universaliter de renunciantibus ante dictos duos menses, nullà factà mentione, multoque minùs discrimine inter ætatem eorum; cum in omnibus sic statuendi ratio illius locum habeat.

**Quest. 820. Quid sit circa renunciationem hæreditatis obventuræ factam à Novitio?**

**1. Resp.** Primò: quamvis renunctio hæreditatis viventis alicujus necdum delatæ, sed in futurum deferendæ, facta alicui certæ personæ sine consensu illius, de cujus hæreditate agitur, sit ipso jure invalida ob periculum machinandi insidias vitæ alienæ juxta L. ult. c. de pact. valet tamen etiam irrequisito dicto consensu, facta ab eo in favorem Religiosi Conventus alicujus alteriusve Communitatis vel Collegii; cum in omni Communitate adeoque multò magis in Communitate Clericorum, præcipuè Religiosorum, meritò præsumatur, cessare tale periculum seu votum captandæ mortis; ob quòd aliàs in favorem privatæ personæ fieri prohibetur talis renunctio. Sanch. L. 7. mor. c. 2. à num. 54. Laym. L. 3. tr. 5. c. 7. n. 3. q. 2. limit. 3. Pirh. h. i. num. 90. Potest quoque Novitius ante professionem renunciare hæreditati paternæ aliàs obventuræ; paciscendo cum parente, ut is ob præstitum sibi à filio per talem renunctio-nem commodum teneatur aliquam pecuniæ summam.

R. P. Lenz. Jur. Can. Lib. III.

alicui loco pio vel Conventui à filio designato applicare; eò quòd, cum per tale pactum nulla filio (qui absque eo renunciare deberet dictæ hæreditati, dum est Novitius Ordinis mendicantium) imponatur obligatio, sed solum parenti, credibile non sit, talem dispositionem prohiberi à Trid. ita cum Laym. l. c. q. 5. num. 14. Pirh. l. c. Potest item Novitius ita renunciare in favorem causæ piæ hæreditati sibi undecunque obventuræ ante mortem vel professionem, in quo casu, si aliqua obveniat, etiam eà non aditâ ab ipso, quia mortem, cujus hæreditas obvenit, ignorabat, possunt ii, quibus facta renunctio, eam petere & accipere, et si jure civili. L. 7. c. de jure delib. statutum aliud, nimirum, quòd, si è vivis excedat non aditâ hæreditate, obveniente sibi, quia mortem ejus, cujus hæreditas erat ignorabat, ea non transmitatur ad hæredes; cum constitutio illa juris civilis in causis piis, utpote in quibus proceditur juxta jus naturale, gentium vel canonicum, quo valida est talis renunctio Pirh. l. c. cum Laym. l. c. num. 13. Si tamen filius disponens in favorem causæ piæ vel Monasterii infans iis, de quorum hæreditate agitur, moriatur, aut profiteatur ante delatam sibi hæreditatem nimirum iisdem adhuc viventibus, donatio seu renunctio omnino corruit. Sanch. L. 7. mor. c. 9. num. 25. Laym. Pirh. ll. cit. eò quòd quis plus juris in alium transferre nequeat, quàm sibi competat. reg. Jur. 79. in 6. nemo autem vivente aliquo, de cujus hæreditate agitur, ad bona illius jus habet; cum viventis non sit hæreditas Arg. L. 94. ff. de acquirenda hæred. Sed neque Monasterium, etiam aliàs capax succedendi, succedit in hæreditate, cui necdum delatæ absolutè renunctavit Novitius, dum ea postmodum post professionem ei deferretur; quia ea renunctio valuit & consequenter Novitius per eam jus succedendi in ea postmodum delata amisit; Monasterium autem repræsentans personam professi jus nullum succedendi habet, nisi quatenus professus jus succedendi habet, quòd is positâ renunctio-ne illâ absolutâ non habet etiam si professionem non emisisset.

**Quest. 821. An & qualiter liberi liberè possint ingredi Religionem, & eandem ingressi intra annum probationis liberè egredi, & ad sæculum redire?**

**1. Resp.** Ad primum: quamvis decens sit & rationi naturali conforme, liberos propositum ingrediendi Religionem causasque aperire parentibus, in quorum potestate sunt, si id facile fieri possit, iis tamen, dum ingressum hunc impedire volunt, aut prudenter impedituri timeantur, inconsultis & invitis, licitè ingredi possunt Novitiatum, eoque absoluto profiteri. Laym. L. 1. tr. 5. c. 4. num. 1. cum communi juxta c. 12. in fine h. i. cum liberi, postquam annos pubertatis, adeoque liberum discretionis arbitrium consecuti, in ordine ad statum religionis ineundum, aut matrimonium contrahendum non pendeat à parentum voluntate & arbitrio.

**2. Resp.** Ad secundum: quidquid fuerit de hoc olim, dum, qui religionem intrabant, habitumque ejusdem etiam novitiorum assumebant animo vitam absolutè mutandi, & Deo perpetuò in religione serviendi, ad sæculum redire non poterant, sed

Ffff 2



sed cogebantur professionem emittere in eadem vel alia etiam religione juxta *c. 20. h. t.* dum nimirum de tali animo seu proposito ex certis indicis. v. g. quia beneficio Ecclesiastico habito absolute renunciarant, vel de bonis suis re ipsa disposerant, constabat, obligationem hanc seu necessitatem remanendi inducente hoc proposito, non quidem nudo, sed concepto ex intentione sese hac ratione tradendi religioni & obligandi, adeoque conjuncto & firmato promissione vel etiam voto simplici profitendi, cujus alias obligationem aut etiam tacitam professionem susceptio habitus monachalis non inducit absque dicta promissione. uti hæc tradunt Suar. *de relig. tom. 3. l. 5. c. 11. num. 2.* Sanch. *L. 4. mor. c. 1. num. 20.* Barbof. *in c. 20. h. t. num. 1. & seq.* citatis pluribus aliis. Pirh. *h. t. num. 62. & seq.* quem vide; præscindendo saltem à tali proposito non nudo (quod importasse necessitatem non egrediendi, satis indicare videntur AA. citati, ut legentis eos patet) novitii hodie dum liberè nullius petita licentiâ, & licitè ex justa causa ante susceptionem habitus professorum (intellige, ubi is distinctus est ab habitu novitorum) & ante professionem redire ad sæculum possunt per *c. statimus 23. h. t.* Castrop. *tr. 16. d. 1. p. 10. num. 1.* & AA. citati cum communi. quin & post Concilium Tridentinum cum dicto proposito & voto simplici aut obligatione profitendi ingressum, etiam postquam renunciavit libertati egrediendi, posse adhuc liberè egredi absque eo, quòd ad ullam aliam religionem in genere vel specie intrandam teneatur, cum Fagn. *in cit. c. 20. h. t. num. 42. in declarat. Card. conc. tradit* Pirh. *h. t. num. 67.* Dixi tamen: *licite: ex justa causa:* quamvis enim per se loquendo exitus ille ex objecto suo vacet culpâ, eâ tamen non vacat, si ad illum novitius irâ, odio aliave sequiore affectione moveatur, aut neglectis divinis inspirationibus ad secularis vitæ licentiam & peccandi occasiones, ac pericula redeundo, salutis suæ discrimini se exponendum prævidit, ut bene Wiestn. *h. t. num. 35. in fine.*

*Quest. 822. An & qualiter novitius dimitti aut expelli possit à religione?*

**R**Esp. Tametsi religio fortè ex rigore justitiæ non teneatur novitium retinere, ut Pirh. (cujus tamen contrarium probat à posteriore de Lug. *de 7. & 7. tom. 1. d. 9. num. 57.* ex eo, quòd novitius sine causa dimissus possit in foro externo reclamare, & quoties de veritate constaret, restituenda esset ut Host. Jo-Andr. Sanch. Lopez apud illum; quod denotat aliquod jus in novitio ad se non dimittendum; cum alioqui non posset jus suum, in judicio prosequi) ex alio tamen capite non potest illum sine justa causa liberè dimittere, nimirum ratione officii sui, ex quo prælatus teneatur procurare bonum religionis & subditorum adeoque & novitium, qui religioni idoneus apparet, retinere non minùs, quàm illum, si idoneus est, expellere, pro ut rationem hanc desumptam ex officio prælati pulchrè declarat de Lug. *l. c. num. 56.* agatque insuper contra officium caritatis gebitæ novitio sibi subdito, dum sine rationabili causa eum expellendo, non potest non inurere gravem notam, dum omnes sciunt, nunquam nolentem & invitum dimitti, nisi ob defectus naturales vel morales. ut de Lug. *l. c. num. 55.* privatque magno bono, quin & fortè periculo salutis exponit. proinde his non obstantè,

quòd novitius non teneatur in religione permanere, negantibus in hoc paritatem obligationis ad permanendum & retinendum. Suar. *ut c. 11. num. 5.* Sanch. *L. 5. c. 4. num. 54.* Castrop. *cit. p. 10. num. 1.* Pelliz. *in man. præd. c. 7. q. 26. num. 60.* Pirh. *h. t. num. 78.* ex eo capite, quòd in iis, quæ non ad justitiam distributivam vel commutativam, vel caritatem pertinent, non detur mutua obligatio. De cætero ad dimittendum novitium non requiruntur causas gravissimas, aut defectus notabiles, sed sufficere, quòd vel circa sanitatem, vel circa indolem, vel alia talenta reperitur, minùs utilis religioni, ait de Lugo, *l. c. num. 55.* ut etiam *num. 59.* dicit, causam ad dimittendum novitium sufficientem non debere semper esse moralem, vel ortam ex ejus culpa; cum ad hoc non obligaverit se religio, sed sufficere causam etiam extrinsecam, ut si ex ejus retentione grave malum aliquod timeretur religioni, etiam absque culpa novitii. v. g. indignatio parentum, qui graviter nocere possent religioni. item aversio principis à religione, damnum etiam temporale &c. Atque ex his jam deducitur & probatur, peccare illos graviter, qui absque sufficiente causa novitio, dum est in probatione, negant suffragium suum ad professionem faciendam requisitum, ut docent Suar. *tom. 3. de relig. c. 3. num. 7. in addit. ad dubia regul. v. novitius 17.* Vecchius *in præd. novitor. d. 12. du. 2. num. 4.* Micand. *in man. præd. tom. 1. q. 25. a. 12. concl. 1. & 2.* Dian. *tom. 1. tr. 2. de dub. regul. resol. 19.* Cordub. *in reg. minor. c. 2. q. 2. & 11.* & alii, quos citat & sequitur de Lugo *l. c. num. 54.*

*Quest. 823. An novitio egredienti restituenda omnia bona, que intulit, habitusque ipse?*

**R**Esp. Ad primum: restituenda ei omnia bona, quæ tempore ingressus deulit in monasterium, ita ut nec minimum ex iis retinere possint religiosi; poteritque ad hoc Episcopus, ubi opus fuerit, ad id compellere per censuras ecclesiasticas superiores regulares. Zesol. *in præd. Episcop. p. 1. v. moniales. §. 3. & p. 2. v. eod. §. 11.* Barbof. *in c. 9. h. t. num. 5. & de off. & potest. Episc. p. 3. alleg. 101. à num. 37.* juxta quod statuit Trid. *sess. 25. de regular. c. 16.* & quidem restituenda bona cum omnibus fructibus, inde perceptis, deductis alimentis pro tempore, quo fuit in novitiatu (de quo tamen posteriore paulò post) resolvit Azor. *instit. mor. p. 1. l. 13. c. 9. q. 2.* recuperare etiam omnia bona feudalia tradunt Tappia *in anth. ingressi, de SS. Eccles. in v. sua. c. 14. num. 16.* Iho. de marin. *de feudis l. 1. tit. de feud. ex pacto & provis. num. 139.* Carol. de Grat. *de effect. cler. off. 4. sub. num. 25.* & alii apud Barbof. *in cit. c. 9.* & Idem *cit. alleg. 101.* sic etiam, si pater cum omnibus bonis suis & filio impubere se offert Religioni, filius annos discretionis adeptus, nolens esse Monachus, potest exire, & petere bona paterna, quæ ex successione sibi proveniunt, & hæc ei restituenda. Barbof. *in c. 14. h. t. num. 1.* citatis Vivian. *in ration. jur. Pontif. l. 3. pag. 478.* Abb. Card. Jo-And. Imol. Host. Butr. &c. An verò, patre professo Religionem, statim legitima debeatur filio, & is eam petere possit à Monasterio, & illud eam restituere teneatur, in eo non conveniunt AA. pro sententia negante eam statim peti posse, sed expectandam mortem naturalem patris, & interea Monasterium eâ potiturum, Barbof. *in cit. c. 14. num. 2.* citat immensam tur-

nam AA. sententiam oppositam, quam ex eo probabiliorem dicit *num. 3.* quod statim à professione pater moriatur civiliter, & desinat esse in rerum natura juris fictione, apud eum inter ceteros noti & magni nominis AA. quos maximo numero citat. tenent Covar. *in c. 2. de testam. num. 7.* Nav. *in comment. 2. num. 48. & 54.* Vivian. *Tom. 1. comm. opin. L. 3. tit. 16. num. 55.* Fachin. *controv. jur. L. 6. c. 13.* Molin. *de just. rr. 2. d. 140. vers. an verò statim.* Less. *L. 2. c. 41. du. 10. num. 73.* Azor. *p. 1. L. 12. c. 8. q. 7.* qui etiam *num. 8.* tenet, similiter, cum filius proficetur in Religione capaci succedendi, statim deberi legitimam parentibus, quam habent in bonis illius; quod ipsum approbat Barbof.

2. Resp. Ad secundum: posse Novitios redire ad priorem statum in eadem veste, quã venerunt, certum videtur, & aluitur ex reg. S. Benedicti. Barbof. *in cit. c. 9. num. 1.* citatis Innoc. Card. Jo. And. Imol. Butr. &c. Verum an Novitio volenti egredi restituendus sit; si velit, habitus Novitiatús, ipsiusmet Novitii sumptibus ei factus, dubitari potest ex eo capite, quòd secundum jam dicta omnia bona, quã intulit sint ei restituenda, desuper consultam S. Cong. Cardin. Concil. Trid. Interpretum annuissè quidem, sed nondum firmasse, habitum Religiosum Novitii egredientis penes Monasterium remansurum, restituito tamen Novitio pretio illis, testatur Barbof. *l. c. n. 5.*

*Quaest. 824. An Novitius rediens ad saeculum teneatur refundere Monasterio expensas ab eo in se alendo factas?*

Resp. Negative, cum ferè communi, quam tenent Sylv. *V. relig. 5. q. 8.* Azor. *l. c. c. 3. q. 6.* Suar. *tom. 3. de relig. L. 5. c. 11. n. 5.* Sanch. *L. 6. mor. c. 10. num. 4.* Dian. *tom. 2. rr. 35. difficult. 16. num. 6.* Pirh. *h. t. num. 65.* & pluribus aliis apud de Lugo. *l. c. d. 9. num. 61.* dicentem esse communem & praxi omnium Religionum confirmatam contra Anchar. *inc. beneficium. h. e. in 6. num. 1.* Jo. And. & alios, volentes teneri Novitium ad mediam partem expensarum; cum probatio respiciat partim favorem Novitii, partim Monasterii, & Peregrin. *in comment. ad const. cler. regul. p. 2. c. 1. lit. G. §. 10.* & alios volentes teneri illum ad omnes impensas. Ratio responsionis à Sanch. Pirh. & aliis petitur. *ex c. penult. h. t. & c. 2. eod. in 6.* ubi, quòd Novitius nullatenus impediri debeat, quò minus liberè exire possit; hæc autem libertas impediretur, si ad impensas teneretur; cum, ubi non esset solvendo, detineri posset. Ratio tamen hæc videtur de Lugo non satis efficax, ex eo, quòd persona libera pro debito detineri nequeat à creditore. Alii cum Diana petunt ex eo, quòd Novitius mereatur alimenta propter servitium Monasterio ab illo exhibita, etsi ob morbum aliamve causam illi non servivit, aut alimenta mercedem superent, id sit per accidens; sed nec ea ratio satisfacit de Lugo, eò quòd, licet id dici posset de iis, qui ad ministeria temporalia Laicorum admittuntur, in aliis tamen vix locum habeat, utpote qui suis obsequiis nihil conferunt, sed aluntur tanquam filii, attendendo ad meram eorum culturam spirituales sine ullo profusus emolumento ab eis interim accepto. Unde rectius videtur ratio peti à de Lugo. *l. c. num. 64.* ex eo, quòd in receptione Novitii fieri videatur contractus bonæ fidei inter illum & Religionem in ordine ad probandum,

An Novitius sit aptus Religioni, & hæc illi, quo utraque pars se obligat, Religio ad illum gratis alendum, Novitius ad inserviendum gratis juxta statum suum in iis, quæ ei imponentur. Unde licet opera Novitii fuisset Monasterio utilissima, vel etiam è contra parum utilis, Novitius propter servitium, Religio propter alimenta nihil petere potest. His adde, quòd Monasteria plerumque hunc in finem fundata sint, non tantum ad alendos professos, sed & Novitios. Limitatur nihilominus responsio passim ab AA. illius favoribus ita, ut Novitius factus in se expensas refundere teneatur, si desuper sub ingressum per pactum (uti sæpe fit in Monasteriis Monialium) se obligavit, ita de Lugo. *l. c. num. 66.* Pirh. *h. t. num. 66.* argumento desumpto ex Trid. *l. c. dum ibi irrita declarantur donationes factæ ab ingredientibus Monasterio ante professionem excepto victu & vestitu Novitii pro tempore, quo est in probatione.* si enim potest intuitu illo aliquid dari, potest etiam de eo dando fieri pactum & promissio. ita tamen, ut addit Pirh. citatis pro hoc Suar. *cit. c. 11. num. 5.* Sanch. *l. c. num. 5.* etiam si datum non fuerit, quòd promissum, non ideo impediatur Novitius, quò minus liberè egredi possit. posse tale pactum fieri de reddendis alimentis, tam habitatio- ne opera, à Novitio exhibita Monasterio, ut ejus valore deducto debeantur expensæ, quàm absolutè integra, nulla habitatio- ne, ait de Lugo. *l. c.* uti etiam, tam quòd possit fieri sub conditione, si rediret ad saeculum, quam absolutè. Addit & idem de Lugo *num. 65.* Limitationem aliam, ita ut, si Novitius non bonâ fide, nimirum ut probaret, sed animo absoluto redeundi ingressus esset, teneretur ex dolo ad damnum, quòd Monasterio intulit in alimentis sibi impensis.

*Quaest. 825. Num Novitii tempore Novitiatús possint suscipere Ordines, & à quo Episcopo?*

1. Resp. Ad primum: Novitii non tantum ad saeculum redeuntes possunt ordinari & ministrare in Ecclesiis, ut cum communi docent Abb. Card. Butr. Host. Imola & alii relati à Barbof. *in c. 21. h. t.* sed etiam existentes & remanentes in Novitiatu posse initiari quibuscunque Ordinibus Sacris. Henriq. *in sum. l. 7. de indulg. c. 22. §. ult. in comment. lit. 7. & l. 10. de sacram. ord. c. 23. §. 3.* in comment. *lit. G.* Rodriq. *qq. reg. tom. 1. q. 3. a. 4. in fine.* Sanchez. *in decal. Tom. 2. L. 6. c. num. 19.* qui etiam *num. 22.* asserit, minime requiri licentiam Prælati regularis, ut Novitius quoscunque Ordines suscipiat. Barbof. *l. c. num. 3.* contra Sylv. *V. religio. 5. q. 10.* Mirand. *in man. pral. tom. 1. q. 12. a. 9. concl. 1.* Lambertin. *de jurep. l. 2. p. 1. q. 7. a. 14. num. 5.* Azor. *inst. mor. p. 1. L. 12. c. 2. q. 13.* tenentes, ne quidem posse ordinari primâ tonsurâ, his non obstante, *c. Monasterii. 9. q. 2.* in quo se fundant hi AA. utpote quòd, ut ait Sanch. *cit. n. 19.* loquitur, non de Ordinibus suscipiendis, sed de tonsurâ Monachali.

2. Resp. Ad secundum, potest Novitius initiari Ordinibus ab Episcopo, in cuius Diocesi est in probatione. Barbof. *l. c. n. 5.* cum Sanch. *n. 22.* contra Henriq. tenentem, Novitium à proprio Episcopo ordinandum esse. sic etiam Delb. *de immunit. Eccles. c. 14. dub. 18. S. 17. num. 14.* cum Dian. *p. 1. rr. 2. resol. 7.* quòd Novitii non secus ac professi cum literis dimissoriis Prælati Religionis mitti possint, ad quoscunque locorum Ordinarios Ordines suscipiendi gratiâ, sine licentia seu literis commenda-

datis Episcopi Diocesani. Contrarium, nimirum quod literæ dimissoriae concedendæ Novitiis non sint à Prælo Religionis, sed ab Episcopo Diocesano, tenentibus Peregrin. in comment. ad reg. canon. regular. p. 1. c. 4. lit. a. §. 1. Naldo. V. Novitiis.

num. 8. Ugol. de potest. Episc. c. 26. §. 20. num. 7. Henriq. L. 10. c. 23. num. 3. quos Delb. ait loqui fortasse de jure communi, non attento privilegio concessio regularibus, de quo videri possit Suar. de relig. tom. 3. l. 5. c. 16. n. 17. & Dian. l. 6.

## CAPUT III.

### De professione religiosa & professis.

*Quæst. 826. Quid & quotuplex sit professio?*

1. **R**esp. Primò: professio statum Religiosum constituens, accepta generaliter & latè pro actu, quo is, qui vult fieri Religiosus, statum Religionis publicè soleniter & firmiter assumit, sive id fiat per vota solennia absolutè & irrevocabiliter, qualiter fit regulariter & ordinatè in plerisque Ordinibus, sive per vota simplicia sub conditione aliqua, adedque dissolubili, uti ea fit in Societate Jesu post biennium probationis; ita ut in hac acceptione latiore etiam scholastici & coadjutores necdum formati dici possint professi. Professio inquam sic generaliter accepta describi potest, quod sit contractus Religiosus & sacer, quo homo voluntariè se tradit Deo in Religione aliqua approbata quò ad certum modum seu institutum vivendi, editis tribus votis; paupertatis, castitatis & obedientiæ, idque intercedente acceptione Prælati regularis, qui traditionem illam nomine Dei acceptet. ita ex Suar. Tom. 3. de relig. l. 6. c. 2. num. 4. Pirh. h. t. num. 94. Accepta strièdè pari modo describitur, nisi quòd addatur: contractus mutuus & reciprocus, quo se quis tradit & obligat Religioni absolutè, & ea mediante Prælato acceptans hanc traditionem vicissim irrevocabiliter se obligat ad illum retinendum, alendum, & ut filium juxta institutum suum tractandum. & ita Sanch. L. 6. mor. c. 9. num. 7. Donat. Tom. 2. prax. regul. p. 2. rr. 10. q. 1. à num. 2. cum communi.

2. Resp. Secundò: professio utraque, tam strièdè, quàm latè accepta, alia est expressa, alia tacita, prout nimirum fit vel signis externis traditionem illam expressè significantibus, vel exercendo actum aliquem, ex quo ea colligatur, vel gestatione habitus professorum in tali Religione proprii.

*Quæst. 827. Professio expressa qualiter fieri possit & debeat?*

1. **R**esp. Primò: de forma & essentia professionis expressæ regulariter non est, ut fiat verbis vel scripto, sed potest fieri etiam nutu aliove quocunque signo sufficienter voluntatis sui consensûs declarativo. Dixi tamen: regulariter quia in Societate Jesu id speciale est, ut deciditur p. 4. const. c. 3. quòd de essentia & valore illius sit, ut fiat voce seu verbis & scripto, nimirum publicè coram hominibus de societate & externis, qui adfuerint legatur & recitetur ex scripto. Azor. p. 1. inst. mor. c. 5. q. 7. Suar. Tom. 3. de relig. L. 6. c. 12. num. 2. Sanch. L. 5. mor. c. 3. num. 4. Castrop. rr. 16. du. 2. p. 1. n. 1. Tamen si autem in aliis Religionibus sic professionem edi necesse non sit, convenientissimum tamen est, ut sic fiat, tum ob claram illius factæ probationem,

tum ad præcavendas lites, quæ ex contrario oriri possunt. juxta c. vidua 20. q. 1. & ibi. Gl. V. scriptis, unde etiam professum compelli posse à Religione, ut in scriptis faciat professionem; quia id Religioni & juri convenit, nec professio præjudicat, & e contra quoque Religionem compelli posse à professo, ut suam professionem in scriptis admittat (quòd aliàs necesse non est, cum sufficiat signo sufficienti acceptionem declarari. ut Suar. l. c. num. 5.) quia illius interest, ut hac ratione de ejus expressa professione constet, sine qua ab electione in Prælatum arceatur, per c. nullus de elect. in 6. tradit cum Abb. in c. cum causam de electione in 6. num. 7. & 8. Sanch. L. 14. sum. c. 3. num. 6. & c. Castrop. l. c. ubi etiam ex Suar. l. c. num. 5. quòd necessarii non sint testes; cum id nullibi caveatur, possitque illa traditio & acceptatio compleri inter profitentem & Prælatum; convenientissimum tamen esse, ut adhibeantur, ut Ecclesiæ constet de statu assumpto, & retrocedere non possit. Porrò licet juxta diversa Ordinum instituta diversa verborum formula interdum ex præscripto adhibenda in editione professionis, ut dum quandoque tria vota substantialia satis exprimuntur, quando sola obedientia secundum regulam promittitur; aliquando stabilitas & conversio morum secundum regulam, in qua obedientia, paupertas & castitas continentur, ut Azor. l. c. c. 4. q. 2. Sanch. l. c. n. 3. Suar. l. c. n. 6. Castrop. l. c. n. 2. Pirh. h. t. n. 98. sitque hæc formula servanda; eà tamen non servatà, non propterea professio est irrita. Azor. l. c. c. 5. q. 7. Pirh. l. c. nisi fortè hoc ipsum in regula à Sede Apostolica approbata habeatur; cum Ecclesia non minus circa professionem, quàm circa matrimonium impedimenta dirimentia seu conditiones, quæ sint de forma ipsius substantiali, statuere possit. ut Pirh. l. c. cum Jo-And. in c. 13. h. t. Sed neque necesse est fieri in Ecclesia, aut etiam in habitu Religioso. ut Suar. l. c. c. 12. num. 24. Castrop. l. c. num. 1. Pirh. h. t. num. 99. juncto num. 102. De cetero professionem factam sub conditione de futuro non esse validam est probabilis; & quidem id certum videtur, dum conditio repugnat castitati, paupertati & obedientiæ, in ea Religione præscriptæ, non secus, ac contractus matrimonialis sub conditione repugnante ipsius essentia est irritus. per c. fin. de condit. apposit. & ita tradunt Sylv. V. relig. 3. q. 6. & seq. Nav. L. 3. conf. 10. de regul. Covar. 4. decret. 2. p. c. 3. §. 1. num. 8. Azor. p. 1. l. 12. c. 5. Sanch. L. 5. sum. c. 5. num. 92. Castrop. l. c. num. 3. Suar. l. c. L. 6. c. 12. num. 14. dum verò conditio de futuro non repugnat dictis votis. v. g. dum quis promittit castitatem, &c. Si pater consenserit, affirmat quidem Sanch. l. c. c. 4. num. 88. & alii, valere; eò quòd consensus præcedens conditionalis purificatà conditione transit in absolutum. sed verius negant Suar. l. c. à num. 18. Castrop. l. c. num. 5. & alii apud illum, eò quòd consensus talis conditionalis non sit aut fuerit consensus in traditionem præsentem

tem sui; sed in futuram pendente à conditione, adeoque eà completà opus esse novo consensu.

2. Resp. Secundò: probabilis videtur, posse fieri professionem per procuratorem; habentem tamen ad hoc speciale mandatum; cum quòd quis facere per se ipsum, etiam facere possit per alium quando à lege vel statuto aliter præscriptum non est juxta *reg. 68. de reg. jur. in 6.* uti id in præsentè præscriptum aliter non est, ac ita tenent *Sylv. l. c. 9. 1. 5. Sanch. l. c. c. 3. num. 7. Suar. l. c. c. 11. num. 22. Castrop. l. c. num. 1.* Pirh. num. 100. modò tamen etiam procurator constituatur liberè, & constituens in ea voluntate persistat pro tempore, quo per illum fit professio, & non sit revocata etiam per actum internum ignorante procuratore. ut *Suar. Sanch. Pirh. ll. cit.* quòd autem necessè non sit principalem exprimere Religionem, in qua professio faciendà, sed relinqui electionem Religionis procuratori, ut docent *Suar. & Castrop.* melius negari videtur à *Sanch.* quem sequitur *Pirh. num. 100.* saltem, si velit id eum posse vi talis generalis commissio- nis, quin autem expresse talis electio ipsi committi possit, videtur non improbabile.

*Quæst. 828. Qualiter seu quot modis fiat professio tacita?*

1. **R** Esp. Primò: duobus, scilicet delatione habitus proprii professorum, & exercitio actus alicujus ibidem proprii professorum. ita *Azor. cit. l. 12. c. 43. Sanch. cit. l. 5. c. 3. num. 19. Laym. l. 4. r. 5. c. 5. num. 7. Castrop. l. c. num. 6. Pirh. num. 104.* Quòd itaque attinet ad primum, requirebatur olim, ut quis censeretur & haberetur pro tacitè professo, ut habitum professorum vel patenter, puta, colore aut figurâ, vel latenter, nimirum sola benedictione distinctum ab habitu Religioso, quo utebantur Novitii ante annum probationis expletum, post adeptos tamen pubertatis annos susceptum spontaneè animo & intentione profitendi gestasset per triduum, ut sumitur *ex c. ad nostram. b. t.* idque, si ve detulerit illum intra Monasterium sive extra, cum licentia tamen Prælati regularis, & sub ejus obedientia, ut *Azor. l. c. l. 12. c. 4. 9. 5. Sanch. cit. l. 5. c. 3. num. 25. Pirh. b. t. num. 107. in fine.* ita tamen, ut licet per talem delationem non obligabatur ad permanendum in ea Religione in specie, cujus habitum assumpserat, obligabatur tamen ad ingrediendum Religionem aliquam in genere, & ingredi poterat seu transire ad aliam, si prior nimis rigida videbatur. *Pirh. n. 106.* prout sumitur *ex c. super eo. b. t.* Transacto verò integro anno probationis gestatio habitus Novitiorum proprii inducit professionem tacitam per assumptionem habitus professorum absque eo, quòd illum per triduum gestaverit prout sumitur *ex c. 3. b. t. in 6.* Taliter autem inducta professio tacita non relinquit liberum ingredi ordinem alium, quàm illum, cujus habitum detulit per annum. *Pirh. cit. n. 107.* Habetque id ipsum à potiore locum, dum per annum gestavit habitum Monachalem, dum habitus Novitiorum & Professorum indistincti sunt. ita ut in fine anni censeatur ipso jure emisisse professionem tacitè, & quidem præsumptione juris & de jure, contra quam non admittitur probatio, nisi ante expletum annum probationis præcesserit protestatio, se non gestasse habitum animo profitendi; quin & potest talis compelli ad profitendum expresse, sumuntur hæc *ex c. ex parte. b. t.* juncta *Gl. ibid. v. per annum.* & *Jo. And. num. 1. Azor. l. c. Pirh. num. 108. Barbof. in cit. c. 22. num. 1. & 2.* citatis pluribus aliis; cum

hac tamen etiam distinctione, ut, si ante annum 14. ingressus habitum illum Novitiorum non distinctum ab habitu professorum susceperit, & dein per annum totum detulerit, censeatur tacitè professus, vel, si quam professionem fecisset, eam ratam habuisse, nisi talem habitum etiam alii in Monasterio, qui nec Novitii, nec Professi sunt, communem tamen vitam cum iis ducunt (ut Capellani servientes & sæculares Clerici) gestare soleant. *Abbas. in cit. c. ex parte. b. t. num. 3. Sanch. l. 5. mor. c. 3. n. 32. Pirh. num. 109. juxta c. 1. §. quòd si b. t. in 6.* Si verò habitum illum assumpserit post annum 14. detulit per annum, censeatur tacitè professus, etiam si dicti alii non professi, nec Novitii eum deferant, prout statuitur. *cit. c. 1. §. qui verò.*

2. Quòd attinet ad secundum, ut exercitio alicujus actus professorum proprii, v. g. datione suffragii in Capitulo censeretur etiam olim quis tacitè professus ipso facto, ita ut probatio in contrarium non admitteretur, nec egredi posset ad sæculum, requirebantur sequentia: primò, ut actus, per quem inducitur professio fiat autoritate & consensu illius, qui potest ad Religionem illam admittere; sicut enim expressa professio fieri nequit, nisi in manibus habentis potestatem recipiendi, ita multò minus tacita; quia difficilior cognoscitur consensus tacitus, quàm expressus; quamvis ad tacitam professionem non requiratur factum aliquod admittentis, sicut illud requiritur ad professionem expressam, sed sufficiat sola scientia & patientia illius. *Sanch. l. c. num. 14. Suar. Tom. 3. l. 6. c. 19. num. 16. in fine. Pirh. b. t. num. 14.* Secundò, ut actus ille fiat sponte sine metu & violentia. *c. vidua. b. t.* Tertiò ut exercens illum actum sciat eum de jure communi vel ex statuto aut consuetudine Religionis istius esse proprium professorum, & per illum induci tacitam professionem; cum si illud ignoret, deficiat tacitus consensus profitendi, dum ignorantis nullus est consensus, uti idem est de professione tacita inducta per delationem habitus. ita expresse *Sanch. l. c. num. 24. Castrop. l. c. num. 8.* citatis *Sylv. Nav. Laym. & aliis Pirh. num. 14.* Quartò, ut habeat verum ac positivum propositum profitendi (ita ut non sufficiat non habere animum per hoc non profitendi) per exercitium talis actus, ita ut sciens certò, se non habuisse animum profitendi, non obligetur in foro conscientie, etsi in foro externo allegans defectum intentionis non audiat juxta *ut. c. vidua. & Fagn. ibid. n. 30. Pirh. l. c.* Quintò, ut exercens actum sit in legitima ætate ad validam professionem jure antiquo requisitam, nempe ut annos pubertatis excesserit juxta *c. 3. b. t. in fine. Pirh. l. c.* Sextò, ut volunt aliqui, post actum illum exercitum perseveret in illo proposito & non pœniteat actus exerciti *juxta c. ad nostram. b. t.* quòd tamen *Abb. in c. vidua. num. 6. Sanch. l. c. c. 3. n. 21.* distinguunt. ita, ut non requiratur illa perseverantia, si actus ille exerceatur, in suscepto habitu professorum intra annum probationis, secus, si sine suscepto illo habitu. *Pirh. l. c. & ita docet Castrop. l. c. num. 7. cum Suar. Tom. 3. de relig. c. 19. à num. 8.* nunquam induci tacitam professionem ex usu & exercitio actuum professorum absque eorum habitus saltem eorum communis delatione, exercitio verò illo actu in assumpto illo habitu extra delationem ejusdem & perseverantia in dicto proposito induci tacitam professionem, tradunt *Sanch. cit. l. 4. c. 3. num. 11. Less. l. 2. c. 21. du. 7. num. 47. Laym. l. 4. sum. c. 3, num. 21, Castrop. l. c. num. 7.* quem vide.

3: Resp:

3. Resp. Secundò: professiones tacite non sunt sublatae per Concil. Trid. Dum enim circa illas nihil disposuerit, ut videre est ex Less. 25. c. 15. & 16. de regul. antiquae eam dispositioni reliquit, in quantum tamen in ea servantur ab eo praescripta circa professionem expressam. Unde si quis hodie dum post legitimam aetatem, nimirum 16. annorum completoque integro anno suscepto habitu Religionis exerceat unum vel plures actus de jure vel consuetudine, solis professis competentes, vel gestet habitum professorum patenter distinctum ab habitu Novitorum, vel etiam Novitorum patenter indistinctum ab habitu professorum, licet occulte distinctum per benedictionem, concurrentibus simul conditionibus aliis jure antiquo & novo requisitis ad tacitam professionem, & nullam interveniente in contrarium protestatione censetur emisisse tacitam professionem citra omnem emissionem expressam votorum, & absque eo, quod Fagn. expressè in c. vidua num. 2. Pirh. num. 115. in fine. necesse sit in habitu distincto professorum exercuisse illum actum proprium professis, aut etiam in eo perseverasse per triduum, ita tradunt passim AA. Nav. L. 3. cons. 28. num. 5. h. r. Rodriq. Tom. 3. q. 17. a. 1. & 2. Sanch. in sum. L. 5. c. 3. num. 36. Laym. l. c. c. 5. num. 1. Barbof. in c. 4. b. r. num. 3. Castrop. Pirh. ll. cit.

4. Resp. Tertio: in Societate Jesu non esse locum tacitae professionis; cum professio in ea necessario seu essentialiter sic legenda ex scripto. p. 5. cons. c. 3. incorporatio quoque per vota fieri solita absoluto biennio tacite fieri nequit. non per assumptionem habitus distincti ab habitu Novitorum; cum in Societate non sit distinctio illa habitus. Non per exercitium actus proprii incorporatis; cum non detur actus eorum, qui non sit communis Novitiis. ac ita tenent Suar. Tom. 4. de relig. rr. 10. L. 3. c. 8. à n. 3. Castrop. l. c. n. 10. Quibus tamen non obstantibus incorporatio & professio nulla ratificari adhuc poterit non secus, quam in aliis Religionibus. quae tamen ratificatio non tam erit tacitae professionis emissio; quam expressa reparatio ita Castrop. l. c.

5. Resp. Quarto praecipua professionis tacitae ab expressa differentia est illa, quod tacite professus eligi nequeat in Praelatum, nec illius nec alterius Religionis, ut sic vitentur dubia, quae ex tali electione oriri possunt c. nullus c. indemn. de elect. in 6. Sanch. l. c. c. 3. n. 6. Suar. cit. l. 6. c. 12. n. 15. Castrop. l. c. n. 9. Altera differentia est, quod vi professionis tacitae non ita adstrictus sit Religioni, quin ad aliam laxiorem transire possit, per c. constitutionem. h. r. in 6. Verum hoc privilegium seu effectus non omni professioni tacitae, sed tantum ei competit, quae sit deferendo habitum professorum per triduum intra annum Novitiatus. ut Suar. l. c. c. 21. n. 6. Sanch. l. c. n. 27. Castrop. l. c.

Quaest. 829. An certa aetas & quae requiratur ad valorem professionis expressae?

1. Resp. Primò: etsi jure antiquo requirebatur ut sufficiebat aetas pubertatis completa, nimirum in mare annus 14. in foemina, annus duodecimus juxta c. firma. 20. q. 1. c. ad nostram. h. r. c. 1. eodem in 6. jure tamen novo. Trid. sess. 25. c. 15. in quacunque Religione tam mulierum, quam viro- rum requiritur annus 16. completus. neque hic malitia supplet defectum aetatis, uti contingit in matrimonio carnali, dum id de eo ita statutum jure positivo, c. 9. & c. fin. de dispens. impuber. simile verò

nihil statutum de matrimonio spirituali quale juxta Gl. ult. in c. ult. h. r. est, quod contrahitur inter profitemem & Religionem. Porro decretum illud Trid. locum quoque habet in Societate Jesu, ita ut incorporatio illa facta per vota simplicia post Novitiatum ante annum 16. sit irrita ob paritatem rationis, dum Concilium. l. c. usum nomine professionis non intenderit tantum comprehendere professionem in strictissima sua significatione, sed gratia frequentioris usus. Cum etiam dicta emissio votorum illorum simplicium inducat statum, quantum est ex parte emittentis, perpetuum & indissolubilem, ob quam rationem Concilium requisivit 16. annos, ut nimirum maturiore Concilio & conditione prudentiore talis status assumeretur. Castrop. l. c. p. 2. §. 1. n. 1. sed neque aliter in Societate fieri poterat, dum in ea recipi quis nequeat ante annum 14. aetatis, & tempus Novitiatus sit biennium; adeoque tam ex Constitutionibus Societatis, quam ex decreto Trid. requiritur annus 16. & ita docent Sanch. L. 5. sum. c. 4. num. 7. Suar. Tom. 4. de relig. rr. 10. L. 3. c. 6. num. 2. Castrop. l. c. De cetero per Tridentinum non impediri, quin major aetas in aliqua Religione requiri possit, etiam cum decreto irritante, dubium non est, ut ait Castrop. l. c. num. 2. ac ita per c. 6. h. r. prohibitum pueros in infulis (intellige minoribus) admittere pueros ante annum 18. propter asperitatem majorem vitae Religiosae in iis perferendam, ob majorem solitudinem, quae angustis maris coarctantur, ad quam pueri juniores invidiosae, quamvis huic constitutioni per contrariam consuetudinem derogatum esse dicat Jo-And. & Sylv. apud Pirh. h. r. num. 118. quin etiam sic statutum in Ordine Minorum S. Francisci ut Pirh. l. c. ita tamen, ut licet tale statutum servandum, non tamen professio in eo facta ante annum 18. modo facta post annum 16. sit irrita. Cum tale statutum decretum irritans adjunctum non habent, ita Abb. in c. qui est in infulis. h. r. n. 4. & 5. Sylv. V. religio. 3. q. 4. Sanch. l. c. c. 4. n. 6. Rodriq. tom. 3. qq. resp. 17. a. 20. Suar. tom. 3. de relig. L. 6. c. 3. n. 7. & 8. Castrop. Pirh. LL. cit. his non adverfante Trid. ut Fagn. in c. 1. h. r. n. 15. juxta declar. Cardin.

Quaest. 830. An & qualiter ad valorem professionis requiratur libertas à coactione & metu?

Resp. Requiritur ut sit spontaneè emissio, & libera ab omni coactione & metu gravi cadente in virum constantem injustè incusso, etiam indirectè ad extorquendam illam, qualis si non sit, ipso jure, saltem Ecclesiastico, est irrita. juxta c. professus caus. 20. q. 3. & c. 1. de his quae vi & c. non secus, ac matrimonio carnale tali metu extortum. juxta c. 14. & 15. de spons. & matrim. Cum per professionem quoque status novus valde difficilis, ex natura sua perpetuus & immutabilis assumatur; ac proinde professio non minorem exigit libertatem, quam matrimonium carnale. Idemque est de emissionem votorum facta à scholasticis in Societate post biennium probationis, utpote per quam verum statum Religiosum assumunt & ingrediuntur, quem & non strictam solum professionem intellexit textus c. de his qui vi. uti etiam Trid. sess. 25. c. 19. de regular. in ordine ad declarandam nullitatem, pro eodem usurpat Religionem ingredi, & professionem facere; ac ita expressè de emissionem illa votorum simplicium, quod metu extorta nullum habeat effectum, docent cum Suar. de relig. rr. 10. L. 3. c. 6. num.

num. 6. Castrop. l. c. §. 2. n. 1. Wiestn. b. t. n. 82. Porro nomine metus gravis invalidantur professionem non venit metus reverentialis, imperium, preces parentis, uti Abb. in c. 12. b. t. n. 8. Sanch. de matrim. l. 4. d. 6. num. 18. Pirh. b. t. num. 120. nisi accedat timor mala tractationis, preces valde importunae, vel saepius repetitae, magna & diuturna offensa ejus, à quo hominis vita ac fortuna dependet, spectata quoque dispositione personae, v. g. utrum timida. ita Sanch. l. c. d. 7. Less. L. 2. c. 17. num. 35. Laym. L. 4. tr. §. num. 6. Unde jura & argumenta afferri solita pro metu reverentiali invalidante professionem intelligenda sunt, non de tali metu nudo, sed vestito aliqua ex dictis circumstantiis. Alleganti verò post professionem metum gravem, uti & aliud impedimentum irritans incumbit probatio. Abb. in c. 1. h. t. num. 4. Fagn. ibidem. num. 26. cum in dubio semper praesumendum pro valore actus, stetque possessio pro professione ipsaque Religione, quae talem hactenus tanquam professum suum habuit & aluit; eam etiam non habitam in contrarium afferre suas probationes, quibus ostendat profitentem liberè ac spontaneè emississe professionem. Arg. c. super hoc de renunc. juncta Gl. V. resignationis. Abb. in c. 1. h. t. in fine. Pirh. l. c. in fine. Porro tamen si coactio per vim & metum professionem irritam reddat, non tamen ipsum ingressum in Religionem probationis gratiam seu Novitiatum ex inde invalidari, ullo jure reperitur. Pirh. b. t. num. 121. cum Sanch. de matrim. L. 6. d. 37. num. 51. quamvis, ut Idem, gravis quoque injuria irrogetur ei, qui ad ingrediendum Religionis Novitiatum cogitur. Unde etiam Tridentinum sess. 25. c. 18. de regular. anathemati subjicit omnes & singulos, qui quomodocunque coegerint quamcunque mulierem, praeterquam in casibus in jure expressis, ad ingrediendum Monasterium, vel suscipiendum habitum cujuscunque Religionis, aut emittendam professionem, quoscientes eam non sponte ingredi Monasterium aut habitum suscipere, vel professionem emittere, quoquo modo eidem actui vel praesentiam vel consensum vel auctoritatem interposuerint, quam tamen excommunicationem non extendendam ad eos, qui mares ad illa cogunt, eò quòd feminae coactionibus magis obnoxiae, & adversus eas minus tutae & potentes sint, quam mares, tradit Wiestn. b. t. num. 83. citatis Suar. de censuris. d. 23. §. 7. n. 8. Sanch. L. 4. mor. c. 4. Castrop. tr. 29. d. 3. p. 57. n. 8. De cetero libertati requisitae ad valorem professionis adhuc locus est in sequentibus casibus.

Primò, dum pueri à parentibus oblato Monasterio facti puberes profitentur, nam etsi olim puerque impubes à parentibus Monasterio offerri potuissent, ita ut eorum oblatione stare tenerentur, nec Monastica professione desertà ad saeculum redire possent sine nota infamiae, probabiliter ac eruditè notet Gonz. in c. cum virum. b. t. n. 6. ad evitanda tamen, quae ex istiusmodi frequenter inconsulta liberorum oblatione oriebantur, postmodum tamen post saeculum sextum Ordinatione Ecclesiastica cum simus, 14. sancitum, ut istiusmodi oblato, licet ad annos pubertatis usque in Monasterio perseverare tenerentur, eò quòd quò ad vitae rationem gubernationemque voluntati parentum subjicerentur, effecti tamen puberes liberè ad saeculum redire possent, & nequaquam in Monasterio persistere cogentur, nisi expressè vel tacitè istam oblationem sui emissà professione ratam habuissent. Fagn. in cit. c. cum virum. num. 34. Pirh. b. t. num. 58. Wiestn. num. 84. R. P. Lenr. Jur. Can. Lib. III.

Secundò dum uxor in mariti sacram ordinationem aut professionem liberè consentiens, obligatur & cogitur ad ingressum Religionis emittendamque professionem in casu, quò incontinentiae vitae praereteret suspicionem. cum obligatio illa & coactio à praecedente libero ejus consensu in mariti professionem dependeat, adeoque non secus, ac qui ingressum in Religionem vovit, vel matrimonium alteri promisit justè ad hoc cogi potest, absque eò, quòd huic ingressui & matrimonio dici possit deesse libertas.

Tertiò, dum criminosi in Monasteria inviti detruduntur; cum justè in ea detruduntur, non ut inviti edita professione fiant Monachi, sed ut in iis, quasi in carcere inclusi, & à peccandi occasionebus remoti, poenitentiam agant, ut Gonz. in c. 1. n. 10. Wiestn. b. t. n. 85. Num verò metus gravis injustè incussus superiori, cujus est admittere professionem, ad extorquendam admissionem, aut etiam capitulum, dum ejus consensus necessarius, irritet quoque professionem, non convenit inter AA. negant id ipsum Suar. tom. 3. de relig. L. 6. c. 4. n. 17. Castrop. tr. 16. d. 2. p. 2. §. 2. n. 3. Pirh. b. t. n. 124. vers. porro. etsi. eò quòd metus, non jure naturali, sed solo positivo humano irritet professionem ut Suar. n. 19. hoc verò de metu incusso admittenti nihil statuerit Concilium ad invalidandam professionem; adeoque extensio fieri nequeat ad hunc casum. Affirmant è contra Less. de §. 7. l. 2. c. 41. n. 6. Donat. Tom. 2. prax. regul. p. 2. tr. 11. q. 8. à. n. 3. quos sequitur Wiestn. b. t. n. 87. hoc nixi fundamento satis probabili: quòd sicut matrimonium carnale, sic & spirituale initum per professionem sit contractus mutuo consensu initus, ultro citroque obligatorius. c. porrellam. c. ad Apostolicam. b. t. adeoque sicut profitentis, sic Religionis seu Praelati illius nomine eam admittentis, exigens consensum spontaneum, à vi & metu absolutum, ut inter contrahentes servetur aequalitas, non secus ac requiritur in matrimonio carnali, à quo ad matrimonium spirituale jure approbatum sit argumentum juxta c. inter. de trans. Episc. & c. cum inter. de elect.

Quaest. 831. An & qualiter error & ignorantia reddant professionem irritam?

**R** Esp. Pari quoque modo; quin & ipso jure naturae professionem reddit irritam error vel ignorantia circa substantialia Religionis (secus est de accidentalibus) quia consensum & libertatem adimit Arg. c. 6. de iis, quae vi. Ob quam rationem eandem irrita est professio facta ab amente, prout sumitur. ex c. sicut. b. t. ita etiam, ut si postmodum ad sanam mentem rediens, redditusque certior de emissà à se invalidè professione, non hoc ipso existat verè professus, quòd taceat, vel non contradicat, aut habitum deponat; sed necesse sit, ut de novo spontanea voluntate profiteatur expressè vel tacitè, nempe exercendo actum, vel assumendo habitum proprium professorum. nequit eniam cessante amentia, in ea facta professio ratificari; cum omnino fuerit nulla, ac perinde sit, ac si nihil factum fuisset. Arg. cit. c. sicut. Abb. ibidem. n. 4. Sylv. V. religio. §. q. 2. Sanch. L. 5. mor. c. 4. num. 53. Azor. p. 1. L. 12. c. 2. q. 5. Pirh. b. t. num. 123. Ad haec, ut cessante amentia, talis mox validè profiteatur expressè vel tacitè, requiritur, jure novo Tridentini, ut

G g g g

anno

anno continuo ante amentiam steterit in probatione. Pirh. l. c.

2. Sic quoque errorem & ignorantiam circa requisita substantialia in proficiente commissum ab admittente professionem eandem irritare, supponit Castrop. tr. 16. d. 2. p. 2. §. 2. Secus est de errore illius & ignorantia versante circa accidentalia, etsi ea talia, ut, si cognita ei fuissent, eum ad professionem non admisisset. v. g. dum proficiens tacuit morbum gallicum suum. sicut enim morbus ille neque ex jure, neque ex speciali Religionis constitutione, ut supponitur, est ex irritantibus professionem, ita nec ejus taciturnitas ex parte proficientis, & ignorantia ex parte recipientis. Possit tamen talem admissum expelli ex Religione ob culpam (quam Nav. & Sanch. moralem reputant) admissam in hujus vitii taciturnitate, affirmant Nav. L. 3. consil. iiii. de regular. consil. 25. Sanch. de matrim. L. 7. d. 37. num. 52. Sa. V. religio. num. 34. Negant Rodriq. Tom. 3. 99. regul. 9. 17. a. 9. Sanch. L. 5. sum. c. 4. num. 57. apud Castrop. l. c. num. 4. eò quòd expulsio à Religione sit supplicium gravissimum, quòd ob causam non ita gravem infligi nequeat. Distinguit Castrop. ita ut, si tentatis per annum remediis morbus non curetur, possit expelli, tum ob culpam deceptionis, tum ad præcavendum damnum aliorum & contagii periculum. In Societate Jesu verò sine scrupulo expelli posse eum, addit, qui sic decipiendo vota scholasticorum emisisset; cum ea, utpote non solennia, minorem causam ad sui dissolutionem exigant, quam quæ ad expellendos Religiosos profectos expostulatur, ut Sanch. cit. L. 5. c. 4. num. 57.

*Quest. 832. An & qualiter ad professionis valorem, aut saltem ut licite fiat, requiratur, ut proficiens sit juris sui, nulli obstrictus?*

**R** Esp. Requiritur ad hoc, ut nulla obligatione sit obstrictus alteri, ratione cujus sine ejus consensu professio emittere impediatur. Pirh. h. t. num. 124. in fine. cum communi. Sic itaque primò servum conscium suæ servitutis illicitè sine consensu domini in Religione, consentiunt omnes. An verò professio illa sit quoque invalida, in eo non conveniunt AA. affirmat Azor. p. 1. L. 12. c. 1. q. 3. Sanch. L. 5. mor. c. 4. n. 44. Less. L. 2. c. 41. num. 31. (ubi, quòd talis professio per dominum in irritum revocetur quòd ad cætera, etsi castitatem servus teneatur servare; cum ad hanc se invito domino potuerit obligare) Pirh. h. t. num. 129. in fine; cum servus totus domini quòd ad actiones utiles, non possit validè omnino tradere se Religioni invito domino, subjiciendo se obedientiæ Prælati. negant è contra Sylv. V. religio. 2. q. 3. Suar. de relig. L. 6. c. 6. num. 3. Castrop. tr. 16. d. 2. p. 2. §. 3. num. 2. pluresque citati à Sanch. l. c. eò quòd nullo jure positivo sit irrita; quin potius ex eo colligatur esse valida dum c. si quis incognitus. 14. q. 2. habetur quòd si triennio transacto non repetitur à Domino servus professionem emittens, ei reddi non debeat. sed neque jure naturali; cum omnia vota servorum sint valida & à Domino absolutè irritari nequeant; sed solum eorum usus, quatenus ei damnosus & præjudicialis, impediri possit. stent autem bene si-

mul, professionem esse validam, & usum illius hic & nunc à Domino impediri posse, quò ad obedientiam, quam etiam non obstante tali impedimento possibili verè adhuc, quantum est quò ad animi præparationem, etiam circa ea, in quibus impediri potest, absolutè vovere potest. ita Castrop. l. c. qui etiam n. 3. rectè addit, certum esse in Societate Jesu professionem seu incorporationem per vota biennii à servo factam esse nullam, quia esse servum est unum ex quinque impedimentis essentialibus. exam. gener. c. 2. & p. 1. consil. c. 3. De cætero supposito etiam valore professionis, si servus eam emittit mala fide, conscius nimirum servitutis, vel fingens se liberum potest à Domino in servitutem revocari, ne ex fraude lucrum reportet. Pirh. l. c. etsi religio quæ sciens esse servum, vel de eo dubitans non præmissa diligentia ad inquirendum desuper eum admittit ad professionem, teneatur Domino (si is servum profectum noluerit recipere) satisfacere soluta astimatione servi, alioquin si bonà fide admittit, sufficit, si servum reddat. Pirh. l. c. citatis Sanch. l. c. num. 47. & Suar. cit. c. 6. num. 4. Castrop. l. c. num. 1. citatis Less. cit. c. 41. dub. 3. num. 31. & aliis. vide dicta supra, de iis, qui prohibentur ingredi religionem.

*Quest. 833. An & qualiter valeat professio facta à gravato ære alieno vel obnoxio ratiociniis?*

**R** Esp. An & qualiter talium ante soluta debita & depositas rationes ingressus & admissio in religionem, professio & ad eam admissio sit illicita, & fieri non debeat, satis dictum & declaratum supra. Unde rectè à priore inferitur professionem ab iis factam esse illicitam, eosque ad illam admitti non posse, eam tamen ita illicitè & injustè factam ab iis, dum in sæculo manentes fuissent solvendo, invalidam non esse, bene asserunt Castrop. l. c. p. 2. §. ult. num. 1. Pirh. h. t. num. 30. eò quòd persona debitoris non ita pro debitis sit obstricta, ut ipsa sit quasi serva creditorum, sed tantum obligata illis ad satisfaciendum ex bonis suis, ut Pirh. debita civilia morte civili, qualis est professio, extincta videantur, eorumque obligatio afficiat personam quam diu sui juris est, & quam diu bona habet. Castrop. l. c. Unde etiam, ut Idem, talis professus non manebit obligatus laborare manibus, aut elemosinas quærere, similiæ præstare, ut debita solvat. dubitari tamen adhuc posse videtur, an non Religio scienter admittens talem obaratum ad professionem in creditorum præjudicium teneatur illis satisfacere.

*Quest. 834. An & qualiter professio facta sine licentia Papæ ab Episcopo sit valida?*

**R** Esp. Tametsi ejus talis ingressus in Religionem uti dictum supra, multo magis emissus ab eo professio sine licentia Papæ sit illicita, peccetque per hoc Episcopus graviter, cum id illi ob bonum Ecclesiæ, cui addictus est, sit interdictum per c. licet. de h. t. & c. nisi cum prædè de renunciat. ut cum communi D. Tho. 2. 2. q. 185. a. 5. validam tamen esse ab eo professionem emissam, tenent Suar. Tom. 3. de relig. L. 6. c. 8. n. 7. Castrop. tr. 16. d. 2. p. 2. §. 5. num. 2. eò quòd, neque ex natura rei sit irrita, cum vinculum professionis

fessionis & Episcopatus formaliter non sint incompatibilia, ita ut unum desolvat alterum, ut patet in eo, qui Religiosus professus sit Episcopus, & retento statu Religioso illiusque nativa obligatione muneris Episcopalis obligationem subit; tamen talis professio quò ad actum ut exercitum obedientia repugnans muneri Episcopali sit impedita, quemadmodum dictum paulò ante de professione emissa à servo. Sed neque ullo jure positivo irrita inveniatur, dum ex testibus *c. nisi cum pridem. de renunc. c. inter corporalia de translat. c. licet de regular.* expressius de hac materia loquentibus id non inferatur, sed solum, quòd non liceat sine auctoritate Pontificis & causis à jure præscriptis renunciare Episcopatu. Quam sententiam etsi speculative probabilem dicat Pirh. *h. t. num. 126.* Contrarium tamen tanquam absolute probabilius sustinet cum Laym. *in c. nisi cum pridem. de renunc. c. ex ea ratione*, quòd, cum Ecclesia prohibeat, ne Episcopus gregem suum, cui se obligavit, deserat sine Papæ licentia, Deus talem professionem repugnantem Ecclesiæ non acceptet, ut Laym. *l. c.* unde etiam ad allatam in contrarium rationem respondet, quòd status religiosus & Episcopalis non sint incompatibiles de jure naturæ seculæ prohibitionem juris positivi. Porro in ordine ad professionem emittendam illicitè vel etiam invalide intelligantur hic Episcopi electi & confirmati, etsi non consecrati, modò certæ alicui Ecclesiæ addicti; cum hi sine licentia Papæ renunciare nequeant Episcopatu *juxta c. inter corporalia. juncto c. nisi cum pridem.* secus est de Episcopis consecratis quidem, nulli tamen ecclesiæ addictis; hi enim, quia cessat obligatio, quæ obstricti Ecclesiæ, inducens hoc impedimentum assumendi statum religiosum per professionem liberè, non requisitâ Papæ licentiâ religionem profiteri possunt, non secus, ac si Episcopatu renunciasent. Castrop. *l. c. num. 3.* Suar. *l. c. num. 4.* qui tamen *num. 5.* idipsum negat de Episcopis titularibus eò quòd hi determinatæ Ecclesiæ desponsati sint, etsi per accidens ab illius obsequio & administratione impediuntur ob infidelium occupationem. Distinguit Castrop. ita ut idem cum Suar. sentiat, si impedimentum, quo impeditur Episcopus ab obsequio suæ Ecclesiæ, perpetuum non sit, sed speretur aliquando removendum, si verò impedimentum nullatenus removendum speretur sitque ejus conditionis, ut omne munus & exercitum pontificale in ea diacèsi impediatur, quale regulariter est in Episcopis titularibus Ecclesiarum occupatarum ab infidelibus, censeat probabile eos posse migrare ad religionem profitendo in ea, non secus, ac si nulli speciali ecclesiæ addicti essent; cum quò ad effectum præstandi Ecclesiæ illi servitium idem sit sed neque Episcoporum obligatio & necessitas petendi & obtinendi licentiam à Papa profitendi in religione extenditur ad alios prælatos Episcopo inferiores, etsi jurisdictionem quasi Episcopalem habeant, sintque immediatè subjecti pontifici; cum eorum non meminerint citati textus, & spiritali conjugio seu vinculo perpetuo ut Episcopi non sint adstricti Ecclesiis suis, & ad munus pastorale obligati. Abb. *in c. licet. h. t.* Suar. *l. c. num. 13. & 14.* Castrop. *l. c. num. 4.* Pirh. *l. c.* qui tamen notant debere ex quadam saltem decentia hos prælatos emissuros professionem, si non petere licentiam, saltem monete desuper Papam, si ei immediatè subjecti, vel ordinarium, si non sint exempti.

R. P. Lenr. Jur. Can. Lib. III.

*Quest. 835. An & qualiter necessitas parentum impediatur valorem professionis liberorum & contra necessitas liberorum valorem professionis parentum?*

**R**esp. Ad primum præter ea, quæ dicta sunt supra de ingressu in religionem liberis in hoc casu prohibito, durante illâ necessitate parentum, ex quibus dicenda de prohibitionem vel invaliditate professionis eorundem à potiore deduci possunt, professio facta à liberis, quorum parentes, hoc est pater & mater, alique ascendentes, graviter, imò extremè egent, etsi illicita sit, facta tamen nullo jure redditur irrita, sed firma manet ita docent Nav. *L. 3. cons. tit. de regular.* Less. *de 7. & 7. L. 1. c. 41. du. 3. num. 34.* Sanch. *L. 4. mor. c. 20. num. 10.* Suar. *tom. 1. de relig. L. 6. c. 9. num. 1.* Castrop. *l. c. §. 6. num. 1.* Pirh. *h. t. num. 128.* his non obstantè, quòd votum ingrediendi religionem editum durante illâ necessitate sit irritum, nam in eo est disparitas, quòd tale votum sit de objecto illicito; non verò professio, quia assumto statu extradiatione sui facta religioni per professionem perseverare in illo, illicitum non est. ita Pirh. *l. c.* quamvis addat peccari tamen ponendo impedimentum obligationi erga parentes exequendæ, quale an ponatur emittendo professionem in religione in qua perseverando non potest parentibus succurrere, patet ex mox dicendis. Interim dum valida editur & perseverat professio parentibus etiam in gravi & extrema necessitate (sive ea existerit jam tempore professionis, sive potest eam editam orta) succurrere tenetur filius professus, monasterio potente & volente iis succurrere, ut cum communi & certa Suar. *tom. 3. de relig. l. 6. c. 9. n. 30.* Castrop. *l. c. §. 6. n. 2.* quin & obligatur monasterium filio ex ingressu in illud reddito impotente ad succurrendum præbere parentibus alimenta, si tempore professionis in necessitate fuerint constituti, casu quo successit in bona profitentis filii, juxta vires illorum; cum obligatio hæredis etiam extranei (qualis est monasterium recipiens bona filii respectu parentum illius juxta auct. *de sanctiss. Episc.*) sit præbere alimenta egenti illi, cui succedit *juxta L. si quis à liberis. Idem rescriptum. ff. de liberis agnoscend.* ita Sanch. *l. 4. in Decalog. c. 20. n. 21.* Castrop. *l. c. n. 3.* si verò nulla bona professi acquisivit & bonâ fide religiosum admisit, credens illius parentes non egere graviter, vel filium æquè bene in religione iis subvenire posse, non tenetur illos alere ex suis bonis necessariis, non ex justitia, ut constat, non ex charitate; quia hæc solum obligat subvenire constitutis in gravi necessitate de superfluis. Angel. *v. religiosus. n. 31.* Sylv. *v. religio 6. q. 9.* Sanch. Castrop. *LL. cit.* secus est, seu tenetur monasterium alere parentes, si eos tempore professionis admittæ noverat graviter egere, & filium ingressu & professione reddi impotentem eis succurrere; cum eo ipso causa sit, quò minus filius obligationi naturali pietatis satisfaciatur Castrop. cum Ang. & Sylv. *LL. cit.* Quod attinet ipsum filium professum, tenetur is in extrema necessitate, sive in eam inciderint parentes ante, sive post professionem, succurrere eis non secus, quàm cuilibet extraneo, quocunque modo potest, etiam exeundo monasterio prælato inconsulto & habitu dimisso, si opus est, quia hæc necessitas utpote gravissima semper excepta est. Suar. *l. c. num. 5.* Castrop. *num. 4.* cum communi. Idem de gravi necessitate sentiunt plures citati à Sanch. *l. c. num. 25.* & Suar. *num. 4.*

Gggg 2



ed quod obligatio hæc filii respectu parentis ita intrinseca & naturalis sit, ut videatur ab ea eximi non posse ob statum perfectionis assumptum; ideoque is assumptus censeatur sub hoc onere & salva hac obligatione. Idem ob eandem rationem in casu, quo parentes in ea necessitate fuerint tempore professionis, secus si acciderit post professionem. tenent Ang. Sylv. *LL. cit.* Nav. *comment.* 3. *de regul. n.* 48. Tolet. *L. 5. sum. c. 1. num. 6.* Suar. *l. c. num. 8. & seq.* Less. *L. 2. c. 41. du. 3. num. 34.* & alii citati à Castrop. *l. c. num. 7.* Econtra non posse, nec teneri filium professum egredi monasterio sine licentia prælati, multoque minùs habitum dimittere, etiam dum parens tempore professionis erat in gravi necessitate docent Sa. v. *religio. num. 2.* Rodriq. *99. regular. tom. 2. q. 59. a. 3.* Sanch. *L. 4. sum. c. 20. num. 17.* Laym. *L. 4. rr. 5. c. 4. num. 2.* & alii apud Castrop. *l. c. num. 6.* & docere videtur D. Th. 2. 2. q. 101. a. 4. ad 4. ibique Cajet. ed quod obligatio filii succurrendi in hac necessitate sit positiva obstringens illum juxta circumstantias temporis & status assumpti. Jam verò professione ita mutatus sit status filii, ut non sit sui juris, sed prælati, adeoque nolente prælato ut egrediatur monasterio ad subveniendum parentibus, ad id redditus sit impotens, adeoque deobligatus ab eo, uti hæc confirmari potest exemplo servi & uxorati, qui contra voluntatem domini & conjugis non obligentur succurrere parentibus, etsi tempore contractæ servitutis vel conjugii in ea necessitate existerint. ait Castrop. *l. c.* ad hæc nullus teneatur subvenire necessitati speciali alicujus cum iactura & præjudicio boni communis, quale non leve crearetur religioni ex obligatione exeundi monasterio, dimittendo habitum; quin & dum ipsi religiosi faciliè sibi persuadentes, adesse eam necessitatem hac ratione exponuntur gravibus tentationibus, periculis à religione omnino deficienti. De cætero teneri filium in gravi necessitate etiam superveniente professioni succurrere, quantum potest salvâ obedientiâ ordineque religioso, consentiunt omnes ut ait Castrop. *num. 9.* etsi actiones quibus subvenire debet parentibus vi regulæ non sint absolute, sed solum prohibita fieri sine licentia, & hæc concedenda præsumitur, sine dubio petenda est, sub ea obligatione, quam regula præscribit. si autem neganda præsumitur, vel de facto negetur, cenlet Castrop. eas adhuc exerceri posse secluso scandalo & violentiâ, ed quod, cum illæ non dedeant statum religiosum, sed solus modus extrinsecus licentiæ iis desit, religiosus eas exercens nihil agat substantialiter contrarium statui suo, & prælatus iniquè neget licentiam; quin etiam addit, quod si actiones sint prohibita ex voto obedientiæ vel paupertatis (quales sunt vendere ab eo arte facta, & pretium dare parentibus aut etiam donata ei ab aliis, pecuniam iis distribuendam ab eo penes se retinere) filius obligetur eas exercere in favorem patris graviter egentis petita priùs veniâ, si præsumatur concedenda, quam in hoc casu tenetur concedere prælatus, & si eam non concedat, possit eas religiosus exercere secluso scandalo & violentiâ ex præsumpta superioris majoris voluntate vel potius ex pia interpretatione legis, quæ non censetur causam ita urgentem comprehendere. pro quo posteriore citat Sanch. *L. 4. sum. c. 20. num. 19.* & expressius Suar. *l. c. c. 9. à num. 27.* Et hæc ubi manifesta est gravis parentum necessitas, si enim dubia, nullatenus hæc actiones contra voluntatem prælati exerceri possunt, cum à subjectione, quæ certò obstringitur prælato ob causam dubiam se eximere nequeat professus.

Unde & hæc necessitas à filio probanda & ostendenda prælato, ut conquiri possit de negata sibi dicta licentia Castrop. *num. 10.* licet verò *num. 12.* dicat, posse prælatum concedere licentiam exeundi monasterio, quando id remedium subveniendi necessitati parentum est necessarium; cum regulariter talis professus licentiam ordinem regularem retinet, & sub obedientia maneat. pro quo citat Sanch. *cit. num. 20.* Less. *L. 2. c. 41. du. 3. num. 34.* Rodriq. *tom. 2. sum. c. 6. num. 4.* & alios. addit tamen, secum Sanch. & Rodriq. credere nullum alium præter Papam concedere professis licentiam vivendi permanenter extra claustrum sine habitu. Porò illud certum, necessitate cessante parentum; quia mortui, vel jam habent, ex quibus commodè alantur, teneri professum redire ad monasterium; quia cessavit causa dispensandi seu concedendi hanc licentiam, ac denuò succedit obligatio status religiosi. Secus tamen esset, si cessaret hæc obligatio redeundi, dum religiosus societatis Jesu non professus ex causa alendi parentes dimissus esset, & à votis absolutus (uti societates ex tali causa dum parentibus graviter egentibus juxta communem procedendi modum in societate subveniri nequit, talem dimittere potest à votis absolutum, etsi ad hoc non teneatur, si aliunde potiùs utilis societati, quam nocivus, cum potestas dimittendi, non in commodum aliorum, sed in bonum societatis ei concessa, ut Castrop. *num. 14.* cum cessaret esse religiosus. etsi cætera dicta de exitu professorum ad subveniendum parentibus, procedant quoque de non professis societatis; cum verè sint religiosi, & quantum est de se, perpetuò obstricti religioni, ut Sanch. *cit. 2. 20. num. 25.* Suar. *num. 13.* Castrop. *num. 14.*

2. Resp. Ad secundum dicta obligatione filiorum professorum alendi parentes graviter egentes, dicenda quoque de parentibus professis respectu liberorum manentium in sæculo; cum utrorumque reciproca, imò parentum strictior sit obligatio; quia hi per se, utpote eorum causâ, obligantur. Sanch. *l. c. num. 39.* Suar. *tom. 3. de relig. L. 6. c. 9. num. 10.* Pirh. *h. r. num. 128.* Secus dicentes, seu non teneri aliquid differre ingressum in religionem, multoque minùs eam ad tempus deferere ad succurrendum fratribus & sororibus in gravi necessitate, etsi, ut ait Castrop. *l. c. num. 14.* intra religionem, seu manendo in monasterio teneatur strictius succurrere, illis quam extraneis.

*Quæst. 836. An & qualiter ad valorem professionis requiratur, ut ea ab aliquo acceptetur, & quinam potestatem eam acceptandi habeant?*

1. Resp. requiritur, ut ab aliquo habente potestatem incorporandi aliquem religioni acceptetur nomine ipsius religionis expressè vel tacitè, & per quem religio obligetur ad religiosum retinendum, alendum, gubernandumque juxta religionis institutum. Gl. in c. *porrectum h. r. v. non faciat.* Abb. *ibid. num. 10.* Suar. *tom. 3. de relig. L. 6. c. 11. num. 1. & 2.* Sanch. *cit. L. 5. c. 4. num. 62.* Laym. *L. 4. rr. 5. c. 5. num. 5.* Castrop. *l. c. p. 3. num. 1.* ed quod professio sit contractus onerosus, reciprocus sive utrimque obligatorius, includatque traditionem sui, adeoque & acceptationem. Hanc quoque receptionem requiri in incorporatione in Societatem Jesu per vota post biennium noviciatus emissâ,

emissa, utpote per quæ non solum obligatur religiosus societatis ad perpetuò manendum in societate, observando dicta vota; sed etiam ipsa religio ad eundem alendum & gubernandum, quam diu causa iusta dimissionis seu expulsiõnis non adfuerit, tenet Castrop. l. c. cum Sanch. cit. l. 5. c. 2. num. 63. & Suar. tom. 4. de relig. tr. 10. l. 3. c. 1. in fine & c. 7. in princ. His non obstante, quod p. 5. constit. c. 4. dicantur hæc vota in nullius manibus fieri debere, & in declarat. Addatur, ea soli Deo offerri, & non homini; adeoque nullius acceptatione agere videantur; nam in manibus alicujus prælati ea sunt, qui nomine societatis ea acceptet, ut religiosum per ea effectum retineat, quam diu ad Deigloriam expediens esse judicaverit (per quod distinguntur à votis, quæ quandoque tempore novitiatus ex devotione emittuntur, utpote quæ licet ex parte votantis eadem formâ emittantur, eandemque obligationem pariant, non tamen à religione acceptantur, unde nec religiosum constitunt) non autem dicuntur fieri in manibus alicujus, ut is ea nomine religionis absolūtè acceptet & religiosum perpetuò retineat. ita Castrop. l. c. num. 2. cum Suar. LL. cit.

2. Resp. Ad secundum: regulariter seu spectato jure communi, receptio, seu admissio ad professionem spectat ad Abbatem seu prælatum religionis immediatum & simul ad conventum seu capitulum, ita ut non solum hujus consilium seu consultatio cum eo sit necessaria ad receptionem professi, ut volunt Abb. in c. apostolicam, h. t. num. 11. & 12. Sylv. v. religio. q. 13. & 18. dicto 4. Navar. comment. 3. de regular. num. 5. addentes, prælatum non teneri sequi consilium capituli, sed etiam ejus, aut saltem majoris partis, consensus sit necessarius, alioquin admissio professionis sit invalida. Gl. in c. ult. h. t. in 6. v. pertineat. Rodriq. tom. 3. qq. regul. q. 17. a. 7. Navar. l. 1. constit. de constit. conf. 9. à num. 19. Less. l. 2. c. 41. num. 61. Sanch. l. 5. sum. c. 4. num. 65. Laym. l. 4. tr. 5. c. 5. n. 3. Castrop. l. c. num. 3. Pirh. h. t. num. 132. cum enim agatur de re concernente conventum, nec licet quis recipiatur in corpus religionis aliorumque que consortium, qui idoneus non est, aliisque detrimentum afferre potest, merito consensus majoris saltem partis capituli totum capitulum repræsentans requiritur, adeoque professio facta contradicente rationabiliter & justè hac majore parte, & eam postmodum non ratificante, retractari debet; secus eâ contradicente irrationabiliter; tunc enim admissio facta à prælato subsistit; cum ratio dicat, ut in re dubia seu controversa membra potius capitis ductum sequantur, quam vice versa. Pirh. l. c. defuncto verò prælato, seu sede vacante, conventus aliquem admittere nequit, si admissio spectabat ad solum prælatum, secus si ea spectet simul ad conventum. Pirh. num. 133. juxta c. si ad solum 6. & ult. h. t. in 6. quæ enim jure speciali & extra ordinario competunt prælato, ea illo mortuo non transiunt ad Capitulum; secus de iis, quæ prælato & Capitulo competebant cumalitivè, seu simul, ut patet in collatione beneficiorum juxta c. unio. §. cum vero. ne Sede vac. dum receptio ad professionem est veluti quædam beneficium seu titulus regularis collatio, multoque magis capitulum poterit recipere sede vacante, si receptio pertinebat in solidum ad prælatum & capitulum, potente nimirum tam capitulo, quam prælato recipere, & conferre seorsim. Pirh. l. c. Dixi etiam: regulariter & de jure communi: nam in Societate Jesu omnis potestas admittendi ad

professionem penes solum generalem residet, qui eam communicat, quibus conveniens est. ut dicitur p. 5. constit. c. 1. lit. B. eamque etiam ad vota biennii regulariter nulli Rectorum, sed solis provincialibus communicat. Ubi autem admissio hæc spectaret ex consuetudine præscripta vel speciali privilegio ad solum Abbatem seu prælatum, isque superiorem haberet, licet ab eo hanc potestatem recipiendi professionem non reciperet, sed immediatè à pontifice seu à tota religione ex autoritate pontificis eò ipso quo superior est, posse adhuc ab illo superiore mediato ita restringi hanc ejus potestatem quo ad usum & exercitum illius ex legitima causa, ut eo inconsulto facta receptio sit nulla; eò quòd sic recto religionis regimini conveniat, cum Sanch. l. c. num. 71. asserit Castrop. l. c. num. 5. probatque ex c. exiit. de V. S. in 6. ubi dicitur, posse Generalem ordinis S. Francisci provincialibus licentiam recipiendi coarctare, non obstante, quòd potestas hæc jure ordinario competat provincialibus, confirmatque à simili de parochia, cui jure ordinario competit potestas assistendi matrimonio suorum subditorum, & tamen Episcopus eam ita limitare potest in gravi & urgente casu, ut assentia nulla sit, facta se inconsulto; eò quòd hac suspensione videatur conjungendos à parochi jurisdictione quòd ad illum casum excludere. Porro ubi prælatus excommunicatus publicè denunciatus, vel notorius clericus percussor esset, valere adhuc professionem ab eo admissam, tradit Castrop. cit. p. 3. num. 4. cum Sanch. l. c. num. 78. & 79. & aliis ab eo relatis. Pirh. num. 135. hæc potestas actusque admittendi non sit jurisdictionis spiritualis; cum etiam cuilibet monacho saltem partialiter competat. Unde etiam asserit cum eodem, adhuc validam esse, etsi illicitam, admissionem factam à prælato prohibito, seu suspensio ab exercitio hujus admissionis, nisi fortè unà cum suspensione illa aliàs non tollatur potestas, sed solum impediatur. De cætero potest superior mediatus, ut Generalis, etiam contradicente superiore immediato, admittere ad professionem; cum prælati superiores mediati in potestate concurrant cum localibus & immediatis superioribus. Sanch. l. c. n. 71. Pelliz. in manual. regul. tr. 3. c. 3. num. 8. Pirh. h. t. num. 134. qui tamen & hic adjiciunt limitationem illam: modo id faciat cum consensu capituli. Quin & Episcopus admittere potest ad professionem juxta regulam à pontifice approbatam, si religio non est exempta; quia non minùs est proprius prælatus & superior illius, quam Abbas & provincialis; modo recipiat cum consensu capituli. Abb. in c. porrettum, h. t. num. 12. Sanch. cit. 4. num. 74. Secus, si religio sit exempta non tamen etiam potest Episcopus ordinariè compellere Abbatem, Abbatissam & conventum, ut ad professionem in monasterio aliàs sibi subiecto admittant aliquem; cum hæc admittendi potestas regulariter spectet ad immediatum superioris ordinis & conventum Pirh. num. 136. in fine. cum Rodriq. cit. qq. 17. a. 7. nisi fortè, pro ut id limitat Pirh. cum Franc. in c. ult. h. t. in 6. num. 3. in monasterio Episcopo subiecto, præsertim monialium, non reciperetur numerus sufficiens, etsi plures commodè sustentari possent, tunc enim post monitionem & terminum assignatum & elapsum posset supplere defectum & negligentiam monasterii. Item potest abbatissa admittere moniales; cum hæc receptio non sit actus ordinis nec jurisdictionis spiritualis, pertinentis ad claves Ecclesiæ, cujus incapax est fœmina, sed actus cujusdam superioritatis,

quàm abbatissa habet in suas moniales. Sanch. l. c. num. 76. Azor. p. 1. L. 12. c. 5. q. 6. Pirh. num. 135. Denique potest hæc potestas recipiendi ad professionem delegari etiam simplici religioso, clerico seculari, quin & laico, quemadmodum ab eo potest beneficium acceptari nomine illius, cui confertur juxta c. 1. de procurat. in 6. Pirh. num. 135. in fine citatis Sanch. ubi ante num. 79. & Rodriq. to. 3. q. 17. a. 12.

*Quest. 837. Invalidè facta professio an & qualiter ratificari possit?*

**R**esp. Ad primum: coram Deo & in conscientia sua certò sciens professionem suam nullam fuisse, sive ex, sive sine aliqua culpa sua; eò quòd v. g. fide & sine animo se obligandi, vel metu gravi injustè incusso compulsus, vel impedimento aliquis essentialiter requisiti v. g. legitima ætatis, patiens, eam emisit, etsi id in foro externo probare non possit, potest si vult, eam ratificando modo paulò post explicando, manere in religione; non tamen ad hoc tenetur, si cognoscens religionem sibi minùs convenientem, aut nimis difficilem, aut alia ex causa non vult remanere; sed potest tutà conscientia in occulto discedere, ac etiam nubere, modò sine scandalo aliove majore incommodo & præjudicio id fieri possit. Sanch. L. 7. de marrim. d. 37. num. 11. Nav. conf. L. 3. conf. 89. de regular. Laym. L. 4. tr. 5. c. 5. num. 7. Pelliz. in man. pralator. tr. 3. c. 1. num. 48. Pirh. h. t. num. 148. Reiffenst. num. 205. & 206. & alii communiter ex ea ratione, quòd professio religiosa propter sublimitatem & arduitatem suam omnino spontaneum ac liberum consensum requirat, & nemo invitus ad eam, ubi nulla fuit, etiam ob propriam culpam, ratificandam, seu de novo validè emittendam cogi possit, unde etiam, etsi habuisset animum verè profitendi, si tamen adfuisset impedimentum dirimens etiam profitenti incognitum, ex præcedente illa voluntate, utpote absolutè inefficace & nullius effectùs, obligari non potest ad servandum, quæ promisit, aut etiam ad substituendam voluntatem aliam de se efficacem, sublato impedimento. His non obstante, quòd Ecclesia talem cogat manere in religione Arg. Trid. Sess. 25. de regular. c. 19. cum id faciat, non ut ad professionem de novo emittendam adigat, aut factam validet, vel validam à parte rei declaret; sed quia præsumit, talem vel ab initio validè professum, vel professionem ratificasse, quæ tamen præsumptio in foro conscientia cedit veritati, ut cum citatis AA. Reiffenst. cit. num. 206. pro quo tamen etiam foro nude asserenti, se fide tantum professum fides adhiberi non debet, nisi attentis circumstantiis prudentissimus quisque conjiceret, talem verè loqui, ut Idem cum Sanch. l. c. num. 14. & Cajet. 2. 2. q. 88. a. 1. Dixi primò: talem religionem relinquere possit, si id sine scandalo & præjudicio religionis fieri possit: tenetur enim ex caritate vel etiam justitia non præbere scandalum. & tertio non præjudicare, seu causare damnum. unde, si talis disponi prudenter nequit ad ratificandam professionem, expectare debet occasionem opportunam discedendi sine scandalo. ut Sanch. l. c. num. 38. & seq. Pelliz. l. c. interea durante illo, in publico servare vota & regulam ordinis, quamvis ad ea in conscientia non teneatur; potestque interea cum animo illo datà occasione egrediendi percipere à religione alimenta & sustentationis media, si in horum compensationem

consuetæ præstet servitia, & si ea ad compensationem illam non sufficere cognoscit, debet habere animum faciendi suo tempore proportionatam restitutionem. Sanch. l. c. Pelliz. l. c. tom. 1. tr. 3. c. 5. num. 10. Item potest interea validè ferre suffragia, aliaque munera religiosa peragere, si non potest sine scandalo & gravi sui infamia ab iis abstinere, errore communi præbente ad hoc titulum præscriptum & sufficientem juxta L. Barbarius ff. de off. prior. quod ipsum tamen distinguit Castrop. tr. 16. d. 2. p. 5. num. 10. ita ut probabiliter credat, id procedere usque adeò, ut etiam in prælatum eligi queat, si professionis nullitas ita secreta sit, ut nullus sit timor, quòd probari possit in foro externo, eò quòd, licet in c. nullus. de elect. in 6. prohibeatur eligi in prælatum, qui professus expressè non fuerit, talis tamen ex benigna interpretatione expressè professus reputandus sit; cum verè quò ad forum externum professus sit, & quò ad Ecclesiam professus reputetur: debet tamen mox ab electione sua professionem suam re ipsa invalidè factam ratificare; secus in electionibus istiusmodi activis & passivis dicendum ait, si nullitas professionis manifesta sit, vel facile manifestari possit; eò quòd tunc nequidem in judicio firmo Ecclesie professus existat. De cætero offerente se occasione discedendi sine scandalo, aut via ordinaria vel extraordinaria, per restitutionem nimirum in integrum commode reclamandi ac nullitatis causam probandi, sive intra sive extra quinquennium, tenetur illico discedere occultè vel reclamare, si professionem ratificare nolit; quia alimentatione & commodis religionis frui nequit; nisi velit esse religiosus, aut sit in eo statu, in quo hic & nunc discedere sine scandalo nequit. ita Reiffenst. h. t. num. 211. cum Pelliz. l. c. num. 47. Dixi secundò: certò sciens professionem suam nullam esse, & se eam nec tacitè nec expressè ratificasse, si enim de eo dubitet, spectandam esse naturam dubii, ut inde inferatur, pro qua parte stet professio, an pro professi, an pro religionis parte, ait Castrop. l. c. p. 7. num. 8. sic si dubitet ante quinquennium, potest reclamari, si post quinquennium, tenetur remanere dubitans; quia in dubio recurrendum ad præsumptionem, quæ ante quinquennium stat pro dubitante, post quinquennium pro religione. Reiffenst. n. 212. Arg. Trid. Sess. 25. de regul. c. 19.

2. Resp. Ad secundum: ad validam ratificationem professionis in genere requiritur & necessaria est sublatio impedimenti, propter quod illa invalida fuit; sive id tenuerit se ex parte profitentis, sive ex parte recipientis. ut Castrop. l. c. p. 5. num. 1. & 2. & pro ut consentiunt omnes. Unde sequitur primò requiri ut ratificans sciat professionem à se factam fuisse irritam; cum absque illa cognitione non possit habere voluntatem ratificandi; quia absque ea non potest cognoscere possibilitatem ratificationis, utpote quæ possibilis non est, nisi professio fuerit invalida, quæ tamen voluntas non minus ad ratificandum, quam ad primò emittendam professionem requiritur. Sanch. l. c. num. 59. Azor. p. 1. L. 12. c. 4. q. 7. Laym. cit. c. 5. num. 9. Castrop. cit. p. 5. num. 3. Less. L. 2. c. 41. num. 65. Pelliz. l. c. num. 57. Pirh. num. 149. quæ tamen cognitione determinatæ nullitatis opus non est, pro ut Less. Castrop. Pirh. bene limitant, si ita statuat ratificans, se vellem professionem à se emissam esse validam, etsi & casu quo fuisset invalida. Sequitur secundò, opus esse consensu alio vero spontaneo professionem

professionem ratificantis, quo se religioni obligat, dum is fictè aut ex gravi metu iniuste inculso professus fuit; ut patet; cum nullus adhuc in hoc casu consensus, aut saltem liber, positus ab eo fuerit, & primò profiteatur, estque probabile, quòd sufficiat hunc consensum ab eo elici in secreto & privatim coram Deo absque eo, quòd rem superiori indicet, ab eoque novum consensum petat, etsi hoc tutius, nisi forsitan timeret, prælatus, hoc intellecto, revocaturum prius datum consensum, & novum negaturum, & sic se esse in periculo ejectionis. in quibus circumstantiis meliùs esse, ait Reiffenst. *h. t. num. 224.* si nihil desuper dicat prælato vel antequam dicat, solus, vel, quòd adhuc securius, in præsencia duorum sibi fidelium exprimat suum consensum, seu ratificet, & factà hac ratificatione, primùm pro majore securitate consensum & acceptationem sollicitet. eò quòd tunc, ut addit, in utroque foro securus sit, etsi consensus à prælato negetur, verùm supponunt hæc consensum novum recepturi professionem non requiri, de quo mox. Requiritur quoque consensus novus profitentis, dum is verè quidem & bonà fide, cum impedimento tamen alio dirimente, illius ignarus v. g. ante requisitam ætatem professus fuit; quia consensus ille omnino irritus & nullius effectus erat, non secus, ac si omnino positus non fuisset. potest autem hic novus consensus seu ratihabitio non tantùm poni expressè, sed & tacitè. v. g. postquam servit priorem suam professionem seu consensum ob tale impedimentum fuisse nullum, manendo in habitu regulari professorum aliisque eorum exercitiis, & sub obedientia religiosa Pith. *cit. num. 149.* cum Suar. *tom. 3. de relig. L. 7. c. 1. num. 6.* His non obstantè, quòd c. 1. *h. t. in 6.* requiritur, ut professio priùs facta expressè rata habeatur. nam ibi sermo est de speciali casu, quo quis professionem emisit ante annos pubertatis completos; is enim statim post expletum annum 14. non nisi expressè ratificare potest professionem factam intra annos pubertatis. ubi autem post annos pubertatis expressè non ratificavit, potest illam ratificare tacitè, deferendo habitum proprium professorum per annum post pubertatem. ita Pith. *cit. num. 149.* Verùm hæc jure antiquo; jure enim novo Tridentini, sicut emitti primò nequit ante annum 16. ætatis, sic etiam ea ante illum annum ratihaberi non poterit expressè neque tacitè. nisi post annum 16. per annum continuando delationem habitus professorum. Ratio autem, cur delatione illa annali habitus aliisque exercitiis professorum editis tacita professio inducatur, est, quia iis positus jus præsumit, professum post scientiam nullitatis suæ professionis denuo consentire. ita Castrop. *cit. p. 5. n. 5.* quamvis addat, hoc verum esse, quando præsumi non potest alius animus gestandi habitum, quàm de professione emitenda seu ratificanda. unde etiam hanc ipsam præsumptionem non nisi annali hac delatione, sed necessariam ad stabilem hujusmodi præsumptionem esse quinquennium, eò quòd Trident. *l. c. c. 14.* concedat jus reclamandi intra quinquennium, adeoque illam interea non ratificatam præsumat.

3. Quod attinet consensum ipsius admittentis professionem, an is quoque novus requiratur ad ratificandam professionem invalidam, in eo non conveniunt AA. negant id ipsum, non tantùm in casu, quo professio fuit invalida solum ex defectu consensus profitentis, dum fictè vel ex metu professus; sed etiam ex defectu alterius requisiti v. g. debite ætatis, aut novitiatus per annum continuati. Nav. *L. 3.*

*h. t. conf. 27. num. 1.* Sanch. de matrim. *d. 37. n. 60.* juncto *num. 64.* Barbol. in Trid. *Seff. 25. de regul. c. 19. num. 16.* quos citat & sequitur Reiffenst. *h. t. num. 217.* juncto *num. 219.* desumpta quò ad primum ratione à simili de matrimonio carnali; dum illud ob defectum consensus in uno conjugum ratificatur per solum consensum illius, qui eum non habuit, absque eo, quòd necessarius sit novus consensus alterius, utpote qui quamdiu revocatus non est (qualiter revocatus dici non potest ab eo, dum nihil scivit de deficiente consensu in altero) censetur perseverare, ut cum probabilior Sanch. *l. c. d. 32. num. 9.* ratione verò generali desumptà ex Trid. dum illud *l. c.* post quinquennium nulli concedendo amplius contra professionem reclamare, ex quacunque demum causa nulliter sit professus, quia præsumit interea talem expressè vel tacitè ratificasse professionem manifestè indicat, ad validam ratihabitioem sufficere consensum profitentis. Alias confirmationes vide apud Reiffenst. à *n. 220.* affirmant è contra saltem tutius, si non probabilis, requiri novum quoque consensum seu acceptationem prælati ex quocunque capite fuerit professio invalida. Azor. *p. 1. L. 12. c. 4. q. 7.* Basil. Pont. de matrim. *l. 4. c. 25. infra.* & alii citati à Sanch. *l. 2. de matr. d. 32. n. 8.* quos sequuntur Pith. *l. c.* Castrop. *l. c. n. 2.* ex ea ratione, quòd quando consensus profitentis nullus vel irritus fuit ob quocunque impedimentum, consensum præstitum à prælato fuisse quoque nullum necesse sit; tum quia non potest esse consensus acceptandi obligationem nullam, tum quia non potest esse consensus obligandi se ad alendum, sustentandum, regendumque illum, qui se non tradidit & obligavit religioni. multoque magis requiritur novus prælati consensus, dum impedimentum fuit ex parte illius v. g. dum is caruit potestate acceptandi, vel fictè aut errore ductus acceptavit; cum eo ipso jam etiam consensus profitentis fuerit nullus, utpote qui censerit non potuit, se voluisse religioni tradere & obligare, nisi & ea vicissim obligaverit se profitenti ad eum alendum &c. cum professio sit contractus reciprocus. ita Sanch. *l. c. L. 7. d. 37. num. 64.* Suar. *tom. 3. de relig. L. 7. c. 1. à num. 16.* Less. *L. 2. c. 41. du. 7. num. 67.* quos pro hoc citat Castrop. *l. c.* sed neque consensum hunc novum prælati deficere dici debet ex eo, quòd is nullam determinatam scientiam nullitatis professionis ex parte profitentis admittæ habuerit, nam etsi determinata illa cognitio nullitatis ad ratificationem requiratur ex parte profitentis (nisi fortè is juxta dicta dubitans de valore professionis suæ, velit se obligare, casu quo prior professio & obligatio sua nulla fuisset) ex parte tamen prælati seu religionis dicta determinata scientia non requiritur; cum consensus illius præstetur absolute, quoties professus suam professionem ratam habuerit, ut abundè colligitur ex citato loco Tridentini (quòd & propterea nullam expressam mentionem de consensu religionis illiusque ratificatione facit) similiter *ex c. ad nostram. c. significatum. h. t. c. 1. eod. in 6.* eò quòd Pontifex supremus religionum prælatus media religione semper acceptet suumque consensum de facto præstet, quoties professus suum præstitit, & religio non contradixerit expressè ita Castrop. *l. c. num. 4.* & apud illum Sanch. de matrim. *L. 1. d. 37. num. 64.* Less. *L. 2. c. 41. du. 7. num. 61.* Videtur quoque sequi ex responsione ad validam ratihabitioem requiri ut repetatur seu de novo præmittatur novitiatus, & quidem in casu, quo professio invalida fuit, quia integer annus probationis ei non præmissus, vel is aliunde irritus fuit,

fuit, affirmant id ipsum Nav. *conf. l. 3. h. t. conf. 5. n. 17. & 19. Rodrig. tom. 2. sum. c. 5. n. 2. Suar. tom. 3. l. 7. c. 1. n. 8.* cum, quod nullum fuit, nullum præster effectum, & Trid. *l. c. c. 15.* expresse annullat professionem, quam non præcessit annus integer probationis (intellige validæ) ratihabens autem præstando novum consensum, de novo profiteatur; quin & Suar. *l. c. n. 34.* id ipsum probabiliter censeat in casu, quo professio ob aliud impedimentum fuit invalida, etsi contrarium in hoc casu censeat probabile. Nihilominus in nullo horum casuum novitiatum reiterandum esse, tranquam verius credit Castrop. *cit. p. 5. n. 7.* & quidem dum novitiatum validus & integer præmissus fuit, id tanquam certum supponit Sanch. *l. c. d. 37. n. 45.* apud Castrop. & cum communi, ut ajunt, tenent Pelliz. *tom. 1. rr. 5. c. 5. q. 40.* Reiffenst. *h. t. n. 225.* ex ea ratione, quod novitiatum ideo solum requiratur, ut novitius religionem, & hæc novitium probet, juxta *c. ad audientiam b. t.* hoc autem jam factum fuisse per talem novitiatum. quamvis ex hoc non sequatur, ut ait Castrop. *l. c.* idem esse in casu, quo ritè & integrè absoluto novitiatu noluit profiteri, sed religionem dimisit, aut ab ea dimissus, & dein iterum resumpto habitu ad eam regressus; hunc enim debere repetere novitiatum ex eo probat, quod juxta Trid. requiratur, ut post susceptum habitum ejusque delationem continuans novitiatum per annum profiteatur, quod non verificetur in tali; cum prima illa susceptio habitus dicta dimissione omnino extincta sit, qualiter extincta non est per professionem invalidam. Adde, quod in tali ex ea etiam ratione requiratur novus novitiatum, quod intra tempus dimissionis & re admissionis potuerint corrumpi mores aliaque mutationes non satis conformes religioni accidisse, ad quorum explorationem opus sit repetitione novitiatum. Alter casus, dum nimirum professio invalida ob non integrè expletum annum probationis professio invalida fuit, plus difficultatis habet. cum Trid. integrum annum requirat, eò quod minus tempus ad explorandos sufficienter mores novitii non sufficere judicet, verum huic difficultati occurrit Castrop. dicendo, quod si talis necdum evoluto anno edens professionem perstiterit in habitu & religione per annum, sive sub nomine novitii, sive sub nomine professi, eam sat temporis habere ad explorandos mores illius, & illum ad austeritates ordinis experiendas. Ex quo tamen sequi videtur, non prius ratificationem & revalidationem professionis perficiendam, nisi post elapsum tempus illud, quod computando tempus novitiatum saltem cum tempore secuto post talem professionem annum integrum constituit. Quod si, ut addit. Castrop. *n. 8.* quis inhæreat sententiæ opposita, necessariumque censeat præmitti ratificationi integrum annum novitiatum, detecta prioris professionis nullitate monere debet prælatus, cujus est recipere; ut se interea tractet tanquam novitium, ut Sanch. *l. c. n. 55. & 65.* & ut, cum requiratur quoque consensus conventus, hunc tacito nomine exposulare, vel à Papa obtinere dispensationem novitiatum. Caterum in hac ratificatione opus non esse observare ceremonias alias in prima professionis emissionem solitas observari; eò quod ad illius essentiam non pertineant. rectè ait Castrop. *l. c. n. 9.* cum Sanch. *l. c. n. 66. & Azot. p. 1. l. 12. c. 4. q. 7.*

5. Porro dicta hic dereparatione professionis & incorporationis invalidæ, adeoque, quæ à Trident. *cit. c. 19.* statuuntur de taciturnitate quinquennii sufficiente ad hanc revalidationem, locum quoque habere in Societate, tamen ea in prima incor-

poratione fieri nequeat, eò quod societas de hac reparatione nihil disposuerit & Trident. in generali desuper decreto suo societatem non exceperit, ostendit Castrop. *l. c. p. 6. à n. 1.* cum Suar. *tom. 4. de relig. rr. 10. l. 3. c. 8. à n. 5.* & quidem eodem modo fieri, quo in aliis religionibus nimirum annuali gestatione habitus aliisque exercitiis societati incorporatorum propriis obitis, non obstantem varietate graduum in societate.

*Quest. 838. An, qualiter & coram quo nulliter professus reclamare possit?*

1. **R**esp. Primò hac super re est sequens decretum Trid. *sess. 25. de regul. c. 19.* quicumque regularis præterea se per vim vel metum ingressum esse religionem; aut etiam dicat. se ante etatem debitam professum fuisse, aut quid simile. velitque habitum dimittere. quacunque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia superiorum, non audiat, nisi intra quinquennium tantum à die professionis, & tunc non aliter, nisi causas, quas præenderit, deduxerit coram superiore & ordinario. Quod si antea habitum sponte dimiserit, nullatenus ad aligandam quamcunque causam admittatur; sed ad monasterium rede cogatur, tanquam apostata; interim verò nullo privilegio sui ordinis juvetur &c.

2. Ex quo deducuntur sequentia. Primò hanc potestatem reclamandi competere cuivis personæ religiose; tam viro quam moniali ob particulam quicumque, quæ juxta *l. 1. ff. de V. S.* utrumque sexum comprehendit, & quæ de monachis statuitur, statuatur quoque de monialibus Arg. *c. 12. b. t.* etsi non è contra, quæ specialiter statuta de monialibus extendenda sint ad monachos, ut Abb. *inc. ultimo de stat. monachor. num. 5.* & sic in specie quoque comprehenduntur etiam, religiosi societatis tam professi, quam coadjutores & scholastici per vota post biennium emissà, societati incorporati; quia & hi verè religiosi sunt, ac ex parte sua perpetuò religioni mancipati. Castrop. *l. c. p. 7. num. 2.* Item milites S. Joannis Hierosolimitani, etsi hi milites uti & aliorum ordinum militarium religiosi communiter in decretis Concilii Trid. *de regularibus.* non comprehenduntur ita juxta declarat. Cardinalium Barbof. *in cit. loc. Trident. & L. 3. de presb. Episc. alleg. 104. num. 10.* Castrop. *l. c.* citato Suar. *tom. 3. de relig. tom. 2. c. 4. in fine.* Pirh. *h. t. num. 151.*

3. Secundò, ut audiatur reclamans, necesse sit ab eo deduci & probari causas nullitatis, quæcumque ea sint, ita ut non sufficiat nuda assertio, etiam juramento firmata. ut Sanch. *l. c. num. 14.* Cajet. *2. 2. q. 88. a. 1.* Reiffenst. *h. t. num. 200.* & alii cum communi. eò quod contra talem juramentum stet præsumptio juris & de jure Trid. *l. c.* adversus quam in foro externo nulli creditur. Verumtamen, si absque gravi difficultate nullitatem suæ professionis probare non potest, quia vel impediretur à religione, vel ob eam causam vexaretur, vel testes nolent dicere veritatem, aut impedimentum ejus sit naturæ, ut probationi non subitet, probatione omisâ, sine peccato fugere potest, cum stante impossibilitate morali probationis, non teneatur eam intentare. Castrop. *cit. p. 7. n. 9.*

4. Tertiò debere fieri hanc reclamationem coram superiore & ordinario, intelligendo per superiorem prælatum regularem immediatam, seu localem, qui professionem admisit, aut qui ei successit, puta priorem, Guardianum, Abbatem monasterii,

sterii, & non necessario Generale vel provinciale Pelliz. tom. 1. tr. 3. c. 5. n. 35. Barbos de pot. Epif. p. 3. alleg. n. 104. n. 11. Donat. tom. 1. tr. 12. q. 19. Pirh. h. n. 151. Reiffenst. h. t. n. 192. nisi tamen specialia statuta alicujus religionis habeant aliud; quemadmodum in societate Jesu ea fieri debet coram provinciali, ut Peliz. l. c. Bordon. tr. de profess. c. 7. n. 29. Reiffenst. l. c. per ordinarium vero intelligendo Episcopum diocesis, in qua situm monasterium, cujus religiosus professionem emisit, vel ejus Vicarium generalem, vel alium prælatum quasi episcopalem jurisdictionem habentem in suo territorio, vel etiam capitulum sede Episcopali vacante. Barbos. l. c. n. 12. Pirh. n. 152. Ita etiam ut fieri debeat coram superiore regulari & ordinario loci simul seu copulativè juxta formam Trid. utentis voculâ copulativâ & ut si fieret privatè coram solo superiore regulari, isque declararet professionem esse invalidam, hæc declaratio esset invalida, nisi hic idem esset cum ordinario, ut dum monasterium unitum Episcopatu. ita Barb. l. c. n. 11. Donat. pelliz. Pirh. Reiffenst. LL. cit.

5. Quartò requiri, ut ante reclamationem & deductionem causarum irritæ professionis faciendam coram legitimo iudice habitum non deponat, nec etiam absque licentia superioris cum habitu discedat, pro ut verba decreti sonant. Quod ipsi tamen patitur limitationem, nimirum, nisi justam causam habeat habitum dimittendi vel fugiendi clam v. g. quia aliter ad superiorem venire non potest, & causam suam debite proponere, vel etiam quia à superiore locali injuste non auditur, vel ab eo illum violenter detinente aut includente negatur ei facultas adeundi majorem superiorem, vel etiam ordinarium Sanch. cit. d. 37. n. 3. Pelliz. l. c. n. 40. Nav. comment. 4. de regular. in fine, Less. l. c. c. 41. du. 7. n. 64. Suar. tom. 3. de relig. l. 7. c. 3. n. 13. Castrop. l. c. p. 7. n. 7. Rodriq. tom. 3. qq. reg. q. 17. a. 16. Azor. p. 1. l. 12. c. 4. Pirh. h. t. n. 152. & alii communiter siquidem Concilium Tridentinum solum prohibere & punire intendit temerarium & præsumptuosum discessum vel habitus dimissionem, non verò factam causâ justâ urgente, quin etiam limitandum, saltem ex æquo & bono, ut penam evadat, & ad reclamandum admittatur, si habitum temerè dimissum reassumendo, regreditur; eò quòd nimis durum & inhumanum videatur, ideo præcisè, quia habitum temere dimisit, perpetuò denegare audientiam ei, qui justam causam reclamandi habet, hominem que liberum non obligatum religioni (dum nimirum causâ ab eo allegandâ subsistunt) cogere ad eidem per totam vitam servendum, præsertim cum fortè non esset illius capax, ob impedimentum professio, valida. ita Less. l. c. n. 64. Sanch. l. c. n. 4. Nav. l. c. n. 78. Pirh. l. c. adde, quòd per reassumptionem habitus & regressum religio restituatur ad pristinam possessionem, qua spoliata per dimissionem habitus & fugam, ut Suar. l. c. n. 14. Castrop. Pirh. LL. cit.

6. Quintò requiri, ut intra quinquennium à die professionis fiat reclamatio, & causâ deducantur. Circa quam conditionem necessariam notanda sequentia. Primo, computandum illud à die factæ nulliter professionis juxta textum clarum, nimirum à die, quo ea facta expresse, vel quo facta tacite per susceptionem spontaneam, delationemque per annum integrum habitus proprii professis, vel illis & novitiis communis. ut Pirh. n. 153. cum Azor l. c. c. 4. q. 10. in fine. Anverò currat hoc quinquennium in quocunque casu à die factæ professionis,

R. P. Lenz. Jur. Can. Lib. III.

adeoque etiam non obstante ignorantia nullitatis professionis aliove impedimento seu impotentia reclamandi; an vero sit utile, ita ut non currat ignorantia aliterve impedito, & consequenter is adhuc post elapsam à professione quinquennium possit reclamare; in hoc inquam AA. non conveniunt. Prius tenent Sanch. cit. d. 37. an. 19. Pelliz. l. c. c. 5. n. 45. Pignat. tom. 3. consult. 37. Donat. tom. 3. tr. 12. q. 13. Idque etiam in casu, ut reiffenst. h. t. n. 202. quo redamans probare paratus esset, quod intra quinquennium nullitatem suæ professionis ignoraverit vel aliter sine sua culpa à reclamando impeditus fuerit. Pro ratione adducunt: quod licet tempus præfixum in odium negligentis currat ignorantia & impedito juxta L. 1. c. de annal. except. non tamen currat ei præfixum in favorem alterius ut glos. communiter recepta in c. statutum de prob. in 6. in præsentem autem casu quinquennium præscriptum non sit in odium negligentis invalide professi, sed in favorem religionis, ut nimirum consuleretur ejus tranquillitati & paci, & ne litibus oppugnantium suorum professiones perturbarentur, ut multis declarationibus Cardinal. à Fagnan. probatur, quæ ratio etiam ex eo confirmatur, quod præscripto procedat contra ignorantem & impeditum, tamen is ob ignorantiam & impedimentum reclamandi restitui possit in integrum, uti Paulò post dicitur de omittente reclamare. Item ex eo, quod Trid. utatur voculâ, tantum, quæ est affirmativa illius, quod ponit, & negativa omnium aliorum casuum præter expressos juxta L. ob as c. de prædiis minor. quodque signanter dixerit à die professionis, & non è die notitiæ cessantis impedimenti currere quinquennium, secundum probabiliter docent Nav. consil. L. 3. cons. 23. n. 3. h. t. Rodriq. tom. 3. q. 17. a. 16. Barbos. ad Trid. l. c. n. 8. & plures citati ab illo. item Castrop. l. c. n. 5. ubi etiam pro hac sententia citat Sanch. quatenus l. c. n. 34. probat, quod, si toto quinquennio duraverit impedimentum, aut impotentia reclamandi, quinquennium illud non sit computandum, quamvis aliud quinquennium concedendum non sit, sed arbitrio prudentis sufficiens tempus. intra quod reclamare possit & audiri, statuendum sit, & si intra quinquennium cessarit, impedimentum, videndum sit, an quod adhuc superest ex quinquennio, iudicio prudentum sufficiens sit ad reclamandum; in quo casu ultra quinquennium tempus alterius indulgendum non sit. de cætero ratio, quâ nititur, hæc posterior sententia, est, quod licet hoc quinquennium præfixum non sit in odium omitteris intra illud reclamationem, sed in favorem religionis præscriptum, tamen sit ob præsumptionem professionis intera ratificatâ; præsumptio autem talis haberi nequeat, quia durante impedimento, illudque ignorante professo, ratificatio in qua fundatur dicta præsumptio non est possibilis; adeoque si hoc impedimentum probare vellet, & posset, audiendus etiam post quinquennium, cujus quia contrarium est in aliis præscriptionibus à jure concessis ex potestate Reip. independenter ab actu aliquo proprio illius, contra quem præscribitur, præscriptio currit etiam contra ignorantem fas suum. Atque ita etiam diluuntur duæ primæ rationes pro opposita sententia allatæ. Circa quæ illud observandum cum Castrop. l. c. non quamlibet ignorantiam impedire lapsum quinquennii, sed eam solam quæ probata impedit præsumptionem factæ ratificationis, qualis quia non est ignorantia quæ ignoratur, quinquennium solum concessum ad ratificandum, hæc frustra allegatur, secus ac ignorantia impedimenti,

H h h

quæ

quæ tamen etiam, quia est contra præsumptionem juris præsumptis impeditum scire impedimentum, voluisseque illo sublato habere ratam professionem, non admitti ejus probationem viâ ordinariâ, sed ad summum beneficio restitutionis in integrum, & casu quo aliis conjecturis præter dictum & juramentum ignorantis probari possit. Cæterum quò minus dicatur quinquennium non currere, nisi à die sublato impedimenti cogniti, non obstant verba Tridentini statuentis currere à die professionis. ea siquidem per se & nisi iusta causa nimirum per accidens interveniente probabili ignorantia aliove iusto impedimento reclamandi aliud svadeat, intelligenda ita Nav. tom. 3. de relig. L. 7. c. 4. n. 6. Castrop. Pirh. L. l. c. u.

7. Porro quæ dicta de jure & potestate reclamandi nulliter professi locum quoque habent in religione, cum hæc non sit deterioris rationis, quam religiosus, & quæ disposita de uno correlativorum, censentur quoque disposita de altero. Pelliz. in man. prelator. tr. 33. c. 5. sect. 2. q. 3. n. 52. Pirh. l. c. modo tamen professio fuerit nulla ob ignorantiam iustam & invincibilem superiorum regularium; cum superiores admittentes professionem si culpa non vacent, volentes reclamare & causas nullitatis allegare post elapsum quinquennium, non debeant restitui ut Pirh. l. c. in fine cum Fagnan. in c. 1. h. t. n. 45.

*Quæst. 839, An, qua ex causa, & qualiter post elapsum quinquennium sit locus beneficii restitutionis in integrum ad hoc, ut audiri debeat is qui intra quinquennium professionis suæ nullitatem ignoravit, vel aliter à reclamando impeditus fuit.*

1. Resp. Ad primum, locum esse restitutioni in integrum in hoc casu, probabilius contra Paris. de resign. benef. L. 12. q. 5. n. 46. Cevall. 99. pract. q. 500. in fine. & alios quosdam docent Nav. tom. 4. de regul. n. 71. & 76. & alibi sæpe. Azor. p. 1. l. 13. c. 4. q. ult. Sanch. de marr. L. 7. de 37. n. 22. Less. l. 2. c. 41. du. 7. n. 65. Barbos. p. 3. de potest. Eps. alleg. 104. n. 108. Ricc. resol. 550. quos citat & sequitur Cast. cit. p. 7. n. 13. Conceditur siquidem beneficium restitutionis in integrum adversus præscriptionem longi temporis jure speciali & extraordinario, tam majoribus, quam minoribus, ut juxta c. 1. & 2. de ref. in integ. in 6. L. 1. §. fin. ff. ex quib. caus. Covar. reg. possess. 3. p. 5. 3. Matrienz. l. 5. recopil. lit. 11. l. 8. gl. 12. à n. 4. neque Tridentinum interdicit hoc beneficio restitutionis in integrum adversus præscriptionem quinquennii; cum dicendo, eo lapso non esse audiendum, possit intelligi de ordinaria, secus de hac viâ extraordinaria, dum leges generaliter interdicens actionem, non intelliguntur de actione competente ex jure speciali & extraordinario, sed ex communi & ordinario, ut cum Glof. recepta in L. postquam lit. C. de pallis. Matrienz. l. c. gl. 13. n. 6. Molin. de primog. L. 3. c. 13. n. 65. Castrop. l. c. n. 13. Neque obstat, professionem dissolubilem non esse. Nam datur hæc restitutio non contra professionem certam sed contra præsumptam, quia probari potest præsumptionem veram non esse, neque in veritate fundatam; eò quòd professio vere nec facta, nec ratificata sit Castrop. L. c.

2. Resp. Ad secundum: conceditur hoc beneficium minoribus 25. annis ex duplici causa. Primo ratione minoris ætatis, tamen si sciverint professionem suam esse nullam, & potuerint reclamare favore scilicet fragilis eorum ætatis. Secundo ob im-

potentiam reclamandi, sive ex ignorantia, sive ex metu ortam. Majoribus verò 25. annis tantum ex posteriore hac causa, nempe impotentia reclamandi, ad quam reducitur ignorantia iusta & probabilis; cum qui probabiliter ignorat, jus sibi competere ad rem, quæ præscribitur, iuste impeditus dicatur ad agendum; adeoque restituendus juxta L. 1. §. ult. ff. ex quib. caus. major. Covar. L. c. Castrop. l. c. n. 14. secus est de ignorantia crassa & supina, utpote culpabili, quæ non prodest ad effectum restitutionis, uti nec ignorantia juris, nisi sit juris nimis reconditi, vel ignorans sit miles, rusticus, mulier, in quibus eo eorum conditionem ignorantia juris facile præsumitur, ut Castrop. l. c. cum Sancti l. c. n. 27. 3. Resp. Ad tertium: quamvis Covar. Ma. rt. L. l. c. u. Sanch. l. c. n. 26. censent indulgeri omnet empus, etiam centum annorum, quo duravit iusta ignorantia; quia eâ ignorantia enervatur præsumptio ratificationis, stante verò scientiâ nullitatis & potentia reclamandi jure communi non concedi, nisi quadriennium juxta c. 1. de in integ. ref. in 6. & L. h. n. 6. de tempor. in integ. ref. quod tamen tempus quo triennium Sanch. existimat non concedi stante dictâ scientiâ & potentia; eò quòd, si sublato illo impedimento ignorantia se quis ingerat professorum actibus, censetur tacite profiteri, & non reclamando: elapso quinquennio professionem factam ratificare, licet inquam sic sentiat Sanch. Castrop. tamen l. c. n. 15. vers. cæterum censet verius majoribus jure communi, etiam qualibet ignorantia interveniente, non concedendam restitutionem quadriennio elapso à tempore finitæ præscriptionis, nempe quinquennii; eò quòd si quadriennium concessum pro beneficio restitutionis computandum esset à die cognita contra te præscriptionis, concedenda esset restitutio etiam in quadragenaria ac centenaria præscriptione, quod communiter reprobatur. ut cum Covar. L. c. p. ult. §. ult. n. 2. & Martienz. l. c. L. 2. gl. 12. n. 10. Castrop. l. c. qui tamen addit, distingendam ignorantiam, aliamque esse nullitatis professionis, qua durante toto tempore possit reclamari, quia præsumi nequit ratificata professio, & hoc impedimento sublato, incipiat computari quinquennium intra quod jure ordinario reclamari potest. aliam ignorantiam termini ad reclamandum concessi, & tunc stante scientiâ nullitatis, & sublato impedimento ad reclamandum & ratificandum, credit, concedi quadriennium ad restitutionem in integrum in ordine, ut elapso quinquennio etiam major reclamare possit, eò quòd, si in hoc casu negetur major restitutio, ut reclamare possit, nullus sit casus, in quo necessarium ei sit uti beneficio restitutionis in integrum; cum stante ignorantia nullitatis professionis vel impedimento ad reclamandum non jure extraordinario restitutioni, sed viâ ordinariâ agere possit, quippe non labitur quinquennium, quod est tempus aptum ad reclamandum. ita ille.

4. Resp. Ad quartum: ad hoc, ut audiat nulliter professus post lapsum quinquennii, non nisi à papa restitui potest, unde is pro restitutione obtinenda adire debet S. congregationem Cardinalium Concilii Trid. interpretum vel aliam præpositam negotiis regularium. Reiffenst. h. t. n. 204. cum Donat. tom. 2. tr. 12. q. 14. n. 4. qui etiam moneat, hoc beneficium impetratu difficile non solere concedi, nisi oratur causas nullitatis professionis una cum causa, cur intra quinquennium reclamare non potuerit, in libello supplicii prius explicet, & de iis prius, saltem summarie cogno-

cognoscatur, ac dein clausula in rescripto desuper obtento exactè observandæ.

**Quest. 840. An & qualiter professio dissolvi possit?**

1. Resp. Primò vinculum professionis seu obligatio ad tria vota substantialia & manendi in religione ex parte professi est omnino indissolubilis & non secus quam donatio alteri facta invito donatario revocari nequit. Sed neque ex parte religionis, ut pote quæ se obligavit absolute & simpliciter ad professum alendum & regendum; neque etiam mutuo consensu religionis & religiosi dissolvi potest. Suar. tom. 3. de relig. L. 6. c. 14. n. 2 & 3. Less. L. 2. c. 41. du. 8. n. 7. Castrop. l. c. p. 8. n. 1. Pirh. h. t. n. 143. Arg. c. 6. h. t. & juxta quod patet ex usu & traditione omnium Ecclesiarum. Idemque est de votis biennii in societate, quatenus etiam emittentes ea obligantur perpetuò societati, & hæc illos ad alendum & retinendum, dum justa causa dimittendi eos non supervenit. Castrop. l. c. Potest nihilominus papa legitimam dispensationem solvere vinculum professionis, ita ut professus desinat esse religiosus, & votis solenibus obstrictus Suar. l. c. tr. 3. l. 6. c. 16. § 17. n. 5. Sanch. de matr. l. 8. d. 8. n. 7. Pirh. n. 144. cum communi contra D. Thom. 2. 2. q. 88. a. 11. Et in hoc sæpius dispensasse pontifices, videre est apud Baron. ad annum Christi 1041. & Suar. lit. c. 17. n. 6. ex ea etiam ratione, quod papa, ut habet communis DD. dispensare potest in votis simplicibus, adeoque & votis solennibus, quippe quorum solennitas non nisi constitutione Ecclesiæ inducta c. unie de votis in 6. tradita eidem à Christo in Petro universalissima potestate solvendi, ac proinde quidquid ex natura sua insolubile non est per publicam potestatem, vel à Christo solvi prohibitum, quale quid non est professio. His non obstante ratione S. Thomæ, dum dicit, solennitatem voti consistere in quadam consecratione & benedictione, vicujus, quod consecratum est, converti amplius nequeat in usus profanos. Siquidem id verum est, manente consecratione, hæc autem autoritate Ecclesiæ tolli potest & reddi res non amplius consecrata, ut patet in calice contracto, qui destructâ formâ, manente ejus materia, fit non consecratus. Adde, quod status religiosus consistat in aliqua consecratione indistincta ab ipsâ obligatione votorum, quæ tollitur per dispensationem.

2. Resp. Secundo: vinculum professionis non solvitur per promotionem professi ad Episcopatum, sed manet omnibus votis religionis obstrictus, ita cum D. Tho. 2. 2. q. 185. a. 8. Less. L. 2. c. 40. n. 113. Sanch. L. 6. mor. c. 6. n. 2. Pirh. h. t. n. 145. & alii communiter. non enim status religiosus, quo ad substantiam pugnat cum statu Episcopali, nec eum dedecet, & quidem de voto castitatis patet. Votum etiam obedientiæ in substantia manet, quin & in effectu, non quidem erga superiorem regularem, sed erga summum pontificem, tanquam supremum omnium ordinum religiosorum Generalem, cui speciali voto obedientiæ præter obedientiam generalem ab omnibus fidelibus ei debitam tenetur obedire, neque à voto paupertatis eximitur quatenus non sit dominus bonorum seu reddituum ecclesiasticorum, sed solum administrator; neque acquirit jus succedendi in bonis patrimonialibus, ultra quod habebat existens in religione, ita tamen, ut quæ acquirit, non jam religioni, sed Ecclesiæ suæ Episcopali acquirat juxta c. unie. caus. 18. q. 1. Quin &, si assumptus ex ordine mendicantium, licet jus illud successione aliquo modo extinctum R. P. Leur. Jur. Can. Lib. III.

reviviscit per illam assumptionem in commodum Ecclesiæ Episcopalis, cui acquiritur dominium rerum sic obtentorum, ipse verò administrationem earum habeat. ita Azor. p. 1. L. 12. c. 7. q. 2. & 3. Less. Sanch. Pirh. LL. cit. de cætero et regulis ordinis non sit obstrictus sub culpa vel pœna, ex honestate tamen & decencia quadam morali tenetur ad eas servandas in iis, quæ Episcopalem dignitatem non dedecent. Azor l. c. n. 4. Sanch. l. c. n. 16. Pirh. l. c. ubi etiam cum Sanch. l. c. n. 36. quod hæc multò magis locum habeant in professo assumpto ad ecclesiam parochialem, intellige, & non subjectam religioni & quidem etiam obstrictus sit regulis sui ordinis, quæ cum pastoralis munere & functionibus consistere possunt sub pœna & culpa.

3. Resp. Tertiò: professus contra professionem valide à se emissam nullo unquam tempore aut modo præscribere potest. ita ut, quantocumque tempore post eam emissam, v. g. in gravi infirmitate, maneat in sæculo, & nunquam se ad monasterium receperit, bonaque sua retinuerit, ejus tamen vinculo se eximere nequeat, pro ut habetur in c. sicut nobis 17. h. t. ex ea etiam ratione, quod nulla temporis diurnitas excuset in malefactis, sed potius culpam auget ob perseverantiam in malo juxta auth. nulli judicium s. 1. vers. neque vero, collat. 9. § L. 67. §. infans. ff. de furtis. & semper fuerit in mala fide, ut gl. in cit. c. & abb. n. 3.

**Quest. 841. Quinam sint effectus professionis?**

1. Resp. Sunt fere sequentes. Primò quòd actuali professione tollatur & extingvatur omne votum simplex antecedenter à proficiente emissum. Sanch. l. 5. mor. c. 5. n. 36. Castrop. tr. 6. d. 2. p. 8. n. 4. Pirh. h. t. n. 139. cum communi. juxta textum clarum c. scriptura. de voto. ubi in specie de voto visitandi sepulchrum domini, limina Apostolorum, ingrediendi religionem, ex ea etiam ratione, quod vinculum simplex & minus, quale est votum simplex, per majus & fortius, quale est votum solenne professionis, dissolvatur, ut patet in venditione simplice, cujus obligatio tollitur per venditionem posteriorem secutâ traditione. in sponsalibus de futuro, quæ solvuntur per sponsalia de præsentem seu matrimonium cum alia. uti &, quod professione assumatur status virtute sua continens & excedens quæcunque alia obsequia, temporalia & particularia, quæ ab homine Deo exhiberi possunt; cum prostens se totum cum omnibus rebus & juribus suis perpetuo consecrat & tradat Deo, eique omnium ex quacunque promissione debitorum perfectam abundantemque præstet solutionem & satisfactionem, censent nihilominus Felin. in c. pervenit de jure n. 2. Angel. v. votum 4. n. 2. Sanch. & apud Wiestn. h. t. n. 108. principem, qui in terræ sanctæ subsidium se cum exercitu valido profecturum vovisset, per professionem non solvi voto, & illius in hanc commutationem ei non permissam, eò quòd opus hoc professione melius videatur, sic etiam professi one non extingvuntur vota quib' intuitu honoris & cultus divini promissum est aliquid Ecclesiæ hospitali, vel etiam privato homini, postquam ab Ecclesiæ prælato aut hospitalis administratore aliove accepta sunt, nisi promissarius talis juri per tale votum acquisito renunciarit. Sylv. v. votum 4. q. 7. dist. 5. Sanch. L. 5. mor. c. 5. n. 40. Pirh. ad lit. de voto n. 26. & 28. Wiestn. h. t. n. 107. eò quòd professionem, quæ juri alteri quæsito derogat, Deus non acceptet. 2. Ampliatur è contra hic effectus primò, ut quoq; per professionem, factam in religione laxiore extingvatur votum ingrediendi religionem, regidiorum

H h h h 2

utpote sim-



simplex *c. 5. h. t. in 6.* His non obstante, quod votum ingrediendi religionem laxiorem, & professio in ea non sit contraria voto ingrediendi strictiorem, adeoque per hoc non extinguatur, cum professus in religione laxiore, semper possit transire ad strictiorem. nam licet votum illud ingrediendi laxiorem & professio in ea non repugnet libertati profitendi in rigidiore, repugnat tamen voto seu obligationi profitendi in alia religione; cum professio in qualibet religione contineat obligationem perpetuam manendi in illa, ac proinde, cum votum hoc & obligatio profitendi in religione laxiore sit simplex, ei derogatur per posterius votum solenne professionis in ordine laxiore, adeoque non tenetur talis professus transire ad ordinem strictiorem. Pirh. *n. 140. in fine.* cum Sanch. *h. e. n. 16.* additur tamen *cit. c. 5. h. t. in 6.* quod licet professus in hoc casu religionem laxiorem licite in ea permaneat, ob votum tamen prius non impletum eidem imponenda poenitentia unde eum peccare, quia minus prestat, quam promiserat, arguit Pirh. *l. c.* citatis pro hoc D. Thom. *2. 2. q. 189. a. 8. ad 3.* Sanch. *l. 4. mor. c. 16. num. 16.* Laym. *l. 4. tr. 5. c. 6.* non secus, ac, qui licet post contracta sponsalia de futuro valde contrahit sponsalia de presente cum alia, peccat tamen irrogando injuriam priori sponsa. quod tamen peccatum credo evitabit, si professus fuerit in religione laxiore; quia hanc ex post tum viribus corporis, tum saluti animae magis convenientem agnovit. De cetero qui vovit ingredi religionem rigidiorem, non satisfacit profitendo in religione laxiore, quae penitus collapsa est quod ad substantialia, nisi spes sit proxima reformationis; secus tamen, si adhuc serventur substantialia, etsi non ita strictè, prout regula exigit Pirh. *n. 140.* Sanch. *l. c. num. 13.* neque etiam, si ingrediatur religionem militarem, in qua in communi non vivitur, ut Idem cum eodem *l. c. n. 11. & 12.* videtur tamen satisfacere, qui certam religionem ingredi vovit, ingrediendo aliam aequè strictam eò quod probabiliter licitum sit propria auctoritate votum in evidenter aequale commutare, ut Pirh. *l. c.* Sanch. *l. c. num. 26.*

3. Secundo ampliatur, ita, ut etiam se extendat ad solvenda juramenta, sub quibus aliquid Deo promissum, & vota juramento firmata; tum quia juramentum sequitur naturam & conditiones actus, cui adjicitur. Wiestn. *n. 107.* Tertiò, ut extendatur ad vota non incompatibiliter cum statu religioso, v. g. recitationis rosarii; quia vis illa professionis solvendi vota alia simplicia non fundatur in temporalis & particularis obsequii erga Deum incompatibilitate cum statu religioso, sed in hujus excellentia & perfectione, & quod homo propositum suum non mutet, qui pro salute animae suae aliquid melius Deoque gratius assumit. *cit. c. scripturae h. t.* Gonz. *ibid. n. 1. & 4. in fine.* Sanch. *l. c. n. 48.* Wiestn. *h. t. n. 109.* Quarto ut extendatur ad vota etiam edita in novitiatu, quin & ad edita post ipsam professionem factam, vel dum post eam transit ad religionem aliam, ita ut hac nova illa professione extinguantur; cum secunda illa professio vota temporalia & particularia ante edita eminenter includat Sanch. *n. 39. & 40.* Suar. *to. 3. de relig. l. 6. c. 14. num. 5.* aliique apud Barbof. *in cit. c. scripturae num. 2.* An verò hac vis dissolvendi reliqua vota simplicia extendat se quoque ad incorporationem in societate Jesu per vota biennii, meritò dubitatur, cum rationes, quae adducuntur pro professione solenni ad concedendam ei prerogativam illam extinguendi antecedentia vota, procedere quoque videntur in hac incorporatione siquidem

hæc vota emittens verus evadit religiosus, & ex parte sua moritur mundo, vivit Deo, cui se suaque omnia consecravit, & in perpetuum obsequium tradidit, id eo quodlibet particulare & temporale obsequium, quod homo Deo prestare potest, eminenter & ipsa continent. est etiam hæc traditio perpetua, causâ dissolutionis non subsistente, esto causâ justâ positâ dissolvi possit, sicut dissolvi potest facta per professionem traditio per Papam, causâ legitimâ intercedente. Nihilominus, cum traditio illa ex parte religionis non sit absolute perpetua, sed adstrictis illis votis ex justa causa ab ipsa religione dimitti possit, obligationem antecedentium votorum (præterquam religionis certæ ingrediendæ ut Wiestn. *h. t. n. 112.*) non extingui, sed suspendi, ita ut, quamdiu in societate manet, cesset, dimissum verò ad ea denuo urgeat, docent Sanch. *l. 5. sum. c. 5. n. 54.* Suar. *tom. 3. de relig. l. 6. c. 14. & tom. 4. tr. 10. l. 3. c. 4. n. 25.* Laym. *l. 4. tr. 4. in fine.* Castrop. *l. c. p. 8. n. 7.* qui tamen fundat se in eo, quod professio vis illa extinctiva aliorum votorum non proveniat ex jure divino naturali vel positivo, ut indicat D. Thom. *2. 2. q. 88. a. 12. ad 1. & sentiunt palud. dist. 58. q. 4. a. 1. n. 13. concl. 6.* Sanch. *l. c. n. 35.* Laym. *l. c. tr. 5. 10. n. 15.* censet enim hos AA. qui tenent antecedentia vota omnino tolli per professionem ex ipso jure naturali tanquam solutione abundantiore, consequenter asserere, debere per dicta vota biennii penitus extingui alia vota) sed ex jure ecclesiastico consuetudine inducto, ac proinde, cum nulla consuetudine inductum, ut vota antecedentia extinguantur penitus per vota illa biennii; sed potius ab initio societatis servatum contrarium, ut constat ex *congregat. 1. can. 42.* pergant illa denuo obligare dimissum à societate. ita ferè Castrop. unde etiam *num. 6.* consequenter docet, quod si profitens contradicat commutationi illi votorum antecedentium (intellige compatibilium cum statu religioso & professione) inductæ jure Ecclesiastico seu humano, non extingui illorum obligationem per professionem, eò quod extinctio illa impediatur tunc voluntate profitentis; cum credendum non sit, Pontificem invito & renitenti velle id beneficium extinctionis concedere. pro quo citat Sanch. *ubi ante num. 37.* Suar. *l. c. Less. l. 2. c. 40. du. 16. n. 106. & c. 41. du. 8. n. 72.* cujus contrarium sit, si vis illa extinctiva esset ex jure divino (quod ipsum nullo scripturæ textu aut Ecclesiæ traditione probari possit) utpote cui voluntas profitentis contravenire potest.

3. Alter professionis effectus est, quod etsi non quò ad culpam; cum sacramentum non sit, quò ad poenam tamen tollat omnia peccata, si in statu gratiæ emittatur. unde quò ad hanc poenæ remissionem passim à SS. Patribus alter baptismus nuncupatur. ita D. Thom. *2. 2. q. 189. a. 3. ad 3.* Suar. *l. c. l. 6. c. 13. n. 4. Less. l. c. Sanch. l. c. n. 2. Laym. l. 4. tr. 5. c. 10. n. 1. Azor. p. 1. l. 12. c. 5. q. 11. Castrop. cit. p. 8. n. 3. Pelliz. tom. 1. tr. 3. c. 4. num. 22. Mirand. tom. 1. q. 25. a. 8.* quorum etiam plures ajunt, hac via hanc remissionem obtineri securiùs, & perfectius quàm per indulgentias, utpote quæ causam concedendi in Pontifice, aliasque conditiones ex parte obtinentis requirunt, etsi indulgentiæ plenariæ extensivè sint efficaciores, cum extendant se ad poenam omnium peccatorum abolendam, dum professio non videtur esse perfecta & condigna satisfactio, quando reatus poenæ ortus ex enormibus & valde multiplicatis peccatis, præcipuè, si oblato illa sui per professionem esset tepida, vel segniore animi affectu & intentione infecta, ut docent Castrop. *cit. num. 3.* Wiestn. *h. t.*

114. unde & in plurium religionum privilegiis profitentibus plenaria indulgentia concessa, quae certe necessaria non esset, si omnes indiscriminatum virtute professionis omnium peccatorum consequerentur remissionem. Extenditurque haec professionis praerogativa ad vota simplicia post novitium biennium in societate Jesu. Laym. l. c. n. 2. Castrop. cit. n. 3. Wiestn. b. t. n. 115. Extendi quoque hanc virtutem professionis ad ejusdem renovationem, eo quod haec quod ad voluntatem, quam Deus specialiter respicit, sit nova traditio sui ex majore saepe affectu & amore in Deum procedens, & si facilius praestetur, probabiliter tenent Laym. l. c. n. 2. Sa. v. religion. 17. Castrop. l. c. cum ea tamen moderatione, ut peccata non sint nimis gravia, nec renovatio remissa, sed fervens contra Sanch. l. c. c. 4. n. 5. de cetero inesse hanc virtutem professioni ex praestantia ipsius hujus operis, qua per modum iustae solutionis & condignae satisfactionis ex meritis Christi hanc remissionem obtineat, probabilius docent Sa. Laym. Castrop. LL. c.

3. Tertius effectus est, quod non tantum dirimat sponsalia de futuro impediaturque matrimonium contrahendum, sed & matrimonii contracti, rati, necdum consummati vinculum solvat. c. verum. c. ex publico. c. ex parte. de conversis. conjugat. quin etiam vim habet, inducendi divortium, & conjugem, qui consorte suo consentiente, vel lapsio in adulterium professus est, liberet ab obligatione cohabitandi, & thori conjugalis jure privat alterum conjugem, de quo plura ex professio tit. seq. minor tamen in hoc est vis votorum simplicium editorum in societate Jesu post biennium novitatus, utpote quae etsi juxta constitutionem Gregor. XIII. ascendente matrimonium contrahendum impediatur, contractum tamen, etsi ratum tantum, non dirimunt, Wiestn. num. 105.

4. Quartus effectus est exemptio filii familias professi à patria potestate; eo quod eo ipso, quo proficetur, transeat in potestatem religionis, ab ea alendus, & gubernandus non secus ac filius à patre, ita cum gl. communiter recepta in L. si ex causa. §. papinian. ff. de minor. Navar. in comment. de regul. Sanch. l. 5. mor. c. 5. n. 29. Covar. in c. quia nos. de testam. n. 5. Laym. l. 4. v. 5. c. 10. n. 5. Castrop. cit. p. 8. n. 2. Pirh. h. t. n. 41. quid tamen intelligendum, id ipsum notant quod ad professo odiosa, & non quod ad ei favorabilia; cum, quod ob gratiam alicujus conceditur, non sit in ejus dispendium retorquendum. c. 16. de reg. jur. in 6. Extenditur hic effectus ad incorporationem factam societati per vota biennii Sanch. Castrop. LL. cit. cum hoc tamen discrimine ut talis à societate dimissus redeat sub patriam potestatem; quia dum solutus votis, non amplius maneat religiosus, cessat causa, ob quam subtractus erat potestati. Sanch. cit. c. 5. num. 31. Laym. Castrop. LL. cit. uti idem dicendum, ut iidem, de ejectis è religione professis, si veri religiosi non maneat, secus si tales permaneant, etsi per accidens ut indigni ejus gubernatione actuali destituantur.

5. Quintus effectus est, quod professione amittatur nobilitas ex ducatu, comitatu, praefectura aliove munere militari vel politico, aut administratione honorifica proveniens; eo quod tales dignitates & administrationes à religiosis, utpote per professionem, mundo mortuis, retineri nequeant, Sanch. aliiq; AA. mox citandi, nequaquam verò nobilitas ex natalibus per participationem transfusa à majoribus illustribus sanguinis proveniens; cum sit jus quoddam naturale & incommutabile juxta L. jus assignationis ff. de pactis,

tollitur professione seu ad illam se non extendit haec mors civilis. Bald. in c. 49. de elect. Tiraq. de nobilit. c. 26. an. 3. Sanch. l. 7. mor. c. 13. n. 13. Pirh. h. t. n. 142. Wiestn. n. 101. adde, quod in quibusdam religionibus requiratur nobilitas haec, ut profiteri possint.

6. Sextus effectus est sublatio irregularitatis provenientis ex defectu natalium in ordine ad sacros ordines suscipiendos, ut habetur c. 1. de filiis presbyt. Circa quod notandum primò comprehendi hic irregularitatem ex quibuscunq; natalibus ortam, adeoque tam filios spurios, sacrilegos, incestuosos, adulteros, quam naturales professos ad ordines promoveri posse Sanch. cit. c. 5. n. 4. Less. Castrop. LL. cit. Laym. l. c. c. 10. n. 4. Sed & in susceptis ordinibus citra dispensationem ministrare posse; cum facultas haec ministrandi minor sit quam suscipiendi ordinis, & in hac inclusa censetur. Sanch. l. c. n. 10. Laym. Castrop. LL. cit. contra Sayr. tom. 1. Thesaur. Caj. l. 6. c. 11. n. 3. Non tamen extendere se hoc privilegium ad obtinendas ab ipsis praelaturas, habet textus ipse. cit. c. 1. idque intelligendum de praelaturis, tam intra quam extra religionem. ut Suar. Sanch. Castrop. Item spectato juris rigore, consuetudine & communi DD. interpretatione accipiendum de praelaturis faminarum ita, ut nulla illegitima eligi possit in Abbatissam aut priorissam, neq; perpetuam, neq; temporalem (quippe cum perpetuitas & temporalitas non varient jurisdictionem, haec distinctio sine fundamento asseritur ut Castrop. l. c. n. 12.) docent cum Gl. in c. indemnitalibus de elect. in 6. & ibidem. Jo. And. Anchar. Archid. Nav. tom. 2. de regul. n. 69. Paril. de resign. l. 3. q. 12. n. 11. Sayr. l. c. Suar. tom. 4. de relig. v. 8. l. 2. c. 6. n. 14. Sanch. l. 5. sum. c. 5. n. 19. Castrop. l. c. & c. contra Rodriq. 10. l. 99. regul. q. 13. a. 12. ex ea ratione, quod cit. c. 1. nomine praelaturae contineatur munus Abbatissae, etsi id propriissime praelatura non sit, ut DD. communiter in cit. c. indemnitalibus. & licet cit. c. 1. nomen filii expressum, videaturque loqui de capacibus suscipiendi sacros ordines, quia tamen est dispositio statuti religioso favorabilis, sceminas comprehendit ea parte, qua capaces sunt; unde & monialibus cit. c. 1. nullum speciale privilegium conceditur; cum ordinum sint incapaces. Quae tamen dicta de illegitima locum non habent juxta probabiliorem, quam tenent Suar. l. c. n. 16. Sanch. l. c. n. 22. Castrop. l. c. n. 13. contra alios plures citatos à Sanch. in scemina corrupta, quò minus ea eligi possit in Abbatissam; cum qualitas virginitatis ad hoc non sit necessaria. His non obstante, quòd velum consecrationis solis virginibus, & non viduis aut notorie corruptis (secus est de iis, quae secreto virginitatem amiserunt, quae se prodere non tenentur) concedatur. aliud enim est de velo communiter monialibus tradi solito. Porro professos illegitimos non arceri à beneficiis simplicibus, ut vult Suar. tom. 5. de censuris d. 150. l. 5. n. 12. ex eo, quòd cit. c. 1. iis concedatur susceptio ordinum, defendunt Nav. l. 1. cunsl. lit. de presbyt. conf. 3. Less. l. 2. c. 4. r. dub. 8. in fine. Sanch. cit. c. 5. n. 16. sed solum à beneficiis manualibus curam animarum habentibus, quam sententiam tanquam communem etsi in praxi sequendam fateatur Castrop. l. c. n. 9. addit tamen, credere se, spectato rigore juris, neq; à beneficiis curatis, modò praelatura non sint, eos arceri. Notandum secundo, votis biennii in societate Jesu tolli hanc irregularitatem aequè ac professione; quia his votis verè religiosi fiunt, quòd solum postulat textus c. 1. Sanch. cit. c. 5. n. 13. Laym. cit. c. 10. n. 4. Castrop. cit. p. 8. n. 11. & ita quidem, ut, si religiosus à societate

tate dimittatur, non reincident in illam irregularitatem; quia nullibi hæc reincidentia cavetur, & irregularitas non nisi in casibus in jure expressis incurritur. Sanch. Castrop. LL. *cu.* De cætero non tollitur hæc irregularitas per ingressum in novitium; cum enim tollatur absolute absque reincidentia in eam, expediebat, eam tolli ob causam de se perpetuam, qualis est professio (intellige, si fiat in religione monachorum, si canonicorum regularium) unde dicitur *in cu.* c. 1. si monachi fiant, aut in congregatione canonica regulariter vivant) & dicta vota de se perpetua. Suar. *tom. 2. de cens. d. 50. f. 5. a. num. 12.* Azor. *p. 1. l. 12. c. 5. q. 12.* Castrop. *l. c. num. 10.* Notandum quartò: non extendi hunc effectum ad tollendas irregularitates alias ortas aliunde, cum id sine fundamento asseratur ab aliquibus, dum textus cit. aliæque jura non nisi dictæ irregularitatis meminerint. Sanch. *de matrim. l. 7. de 86. num. 4. & l. 5. sum. c. 5. num. 9.* Less. *l. 2. c. 41. du. 8. num. 73.* Castrop. *ir. 16. du. 2. p. 8. num. 8.* Laym. *l. 4. ir. 5. c. 10.* qui tamen addit, solere professionem movere ad faciùs impetrandam dispensationem super aliis irregularitatibus.

7. Septimus effectus est purgatio maculæ ortæ ex hac inhabilitas ad actus aliquos temporales v. g. ad ferendum testimonium in judicio, ratione delicti commissi v. g. perjurii, dati falsi testimonii; non enim præsumi potest, similia delicta commissurum, qui jam obsequio divino totum se per professionem mancipavit ita Arg. *novel. 5. in princ.* ubi dicitur: monachalis vita sic est honesta &c. ut omnem humanam maculam detergat. Gl. communiter recepta in *c. deputati de judicis in fine.* Felin. *ibidem Pelliz. tom. 1. rr. 3. c. 4. num. 40.* Rebuff. *prax. benef. tit. de dispens. super defect. natal. num. 72.* Sanch. *cit. c. 5. num. 27.* Laym. *cit. c. 10. num. 5.* quos citat & sequitur Castrop. *l. c. n. 14.* idem cum Sanch. *n. 28.* dicens de incorporatione per vota biennii in societate Jesu.

8. Octavus est, ut debeat notam ingratitudinis à filio aliàs commissæ, ob quam exhereditariæ & legitimæ privari poterat. *c. fin. 19. q. 3.* Covar. *in c. Raynuitus, de testament. num. 28.* Molin. *de 7. & 7. tom. 1. d. 176. in fine.* Sanch. *cit. c. 5. num. 33.* Laym. *cit. c. 10. num. 6.* Castrop. *l. c. num. 15.* idipsum cum Laym. & Sanch. extendens ad vota biennii in societate & id quidem, ut Reiffenst. *b. t. num. 193.* ut propterea exhereditariæ nequeat, & exhereditatio ante facta ac testamento inserta non subsistat, modo professio ante mortem parentis emittatur. Nihilominus tamen filium illegitimum professum etiam citra istiusmodi commissam ingratitudinem succedere non posse in bonis paternis: quia nullibi talis legitimatio non in ordine ad hunc finem ex professione provenire legitur, contra plures relatos à Sanch. *l. c. num. 25.* cum eodem & Suar. *l. c. 8. §. num. 16.* Covar. *4. decret. 2. p. c. 8. §. 7. num. 4.* astruit Castrop. *l. c. num. 9.* non obstante, quòd olim legitimabantur oblato curiæ principis juxta *auth. quibus mod. natur. efflc. sui §. si quis collat. 7.* quia talem successionem præstabat dicta oblatio; reddendo talem absolute legitimum, quòd non præstat professio; ut AA. cit.

**Quest. 842. Cui acquirat religiosus professus?**

1. Resp. Primò: religiosus non sibi, sed suæ religioni acquirit; an verò toti religioni,

an conventui, in quo professionem emisit, spectandam esse religionis consuetudinem, quæ pro qualitate bonorum in eadem religione diversa esse soleat, cum Sanch. *l. 7. sum. c. 32. num. 53.* astruit Castrop. *ir. 16. d. 3. p. 19. num. 1.* sic etiam religiosum penitentia agenda causâ in alienæ aut etiam ejusdem religionis alieno monasterio reclusum, non eidem religioni aut monasterio, sed suo proprio acquirere; eò quòd sola professio facta in loco, & non reclusio acquisitionem religioni concedat, contra Rodriq. *tom. 3. 99. regular. q. 5. a. 5.* defendit Castrop. *num. 2.* sub hac tamen limitatione nisi fortè reclusus in ista alia religione professionem ederet, aut bona, quæ acquireret, necessaria essent ad sui sustentationem, propria religione aut monasterio nihil pro ea suppeditante.

2. Resp. Secundò religiosus professus ad Episcopatum assumptus, non suæ religioni, sed Ecclesiæ suæ Episcopali acquirit, juxta *c. unic. 18. q. 1.* loquens generaliter, adeoque intelligendum, ut Sanch. *l. c. num. 36.* citatis aliis. Suar. *tom. 4. de relig. ir. 8. l. 3. c. 16. num. 12.* Castrop. *l. c. num. 13.* non tantum de acquisitis titulo Ecclesiæ suæ, sed & de acquisitis successionem, donationem, legato, arte & industriâ propriâ, extenditurque hoc ipsum primò ad Episcopatum assumptum ex ordine minorum etsi *cit. c. unic.* loquatur de assumpto ex ordine sancti Benedicti; cum in omnibus sit eadem ratio, nempe exemptio ab obedientia religionis, Molin. *de 7. & 7. d. 140. in princ.* Azor. *tom. 1. l. 12. c. 10. q. 6.* Sanch. *l. 7. sum. c. 32. num. 6.* Castrop. *l. c.* Secundò ad Episcopum electum confirmatum, etsi non consecratus, nec possessionem nactus; cum vi confirmationis à sua religione exemptus, Ecclesiæ suæ exercendo munera jurisdictionis Episcopalis deservire queat, adeoque æquum, ut eidem acquirat. Rodriq. *l. c. q. 69. a. 4.* Sanch. *l. c. c. 32. num. 67.* Castrop. *l. c. num. 14.* Tertio ad Episcopum, cui non in titulum, sed in commendam Ecclesia conceditur, qui utpote durante commendatione exemptus à religionis suæ jurisdictione, acquirit Ecclesiæ commendatæ. Sanch. *l. c. num. 69.* Castrop. *l. c.* Quarto ad Episcopum titularum, esto, is Ecclesiæ suæ non deserviat; eum deserviat tamen Ecclesiæ universali & pontifici à sua religione plenè exemptus, ac proinde ei acquirat, ut Azor. *l. c. q. 7.* Sanch. *l. c. num. 68.* Castrop. *l. c.* qui tamen addit alios satis probabiliter asserere, eum acquirere religioni suæ, cujus ratio videtur, quòd actu suæ Ecclesiæ non deserviat. Porro quæ dicta sunt de assumpto ad Episcopatum, etiam procedunt de promotu ad Cardinalatum ob eandem rationem ut cum Sanch. *l. c. num. 70.* Castrop. *l. c. in fine.*

3. Resp. Tertio: quòd professus ad beneficium promotus pleno jure, monasterio subiectum, præcipue in temporalibus, acquirit ei omnia, quæ obveniunt illi successionem, donationem, legato eò quòd tunc sit beneficium manuale ad nutum prælati aufferibile ab eo, adeoque beneficiarius quòd ad omnia sit subiectus prælato, non secus ac degentes in claustris; ea verò quæ ratione & intuitu talis beneficii aut labore & industria sua acquirit, cedant Ecclesiæ, in qua est beneficium Arg. *element. unic. de suppl. negl. prælat.* ubi prælati regularibus interdicitur bona talium beneficiorum manualium suis mensis applicare, & vacantia aliquo modo occupare, & pensiones imponere, quæ satis indicant, fructus eorum non cedere monaste-

monasterio; uti nec ea, quæ acquirunt opere & industria (etsi desuper nullus sit textus) hac ratione suadet, nimirum, quod beneficiarius talis beneficium eo tempore, quo beneficium retinet, adstrictus sit Ecclesie deservire, & si quod ad proprietatem monasterio maneat subiectus, unde sicut servus donatus alteri ad ejus usum & servitium pro aliquo tempore ei cedunt, quæ industria acquirunt, etsi, quæ donatione aut successione acquirunt, cedant domino, ita etiam loquendum de tali beneficiario, ita inquam docent Suar. tom. 4. de relig. tr. 8. l. 3. c. 19. a. n. 7. & 22. Sanch. &c. apud Castrop. l. c. n. 15. qui etsi hanc doctrinam, utpote communioem in consulendo & judicando tenendam esse dicat, addit tamen n. 16. non improbabiler dici, quod, si beneficium sit subiectum religioni, siue non, quomocumque acquisita à religioso cedere Ecclesie, eò quod durante beneficio, etiam manuali, exemptus sit à religionis regimine & obedientia, sicut habens beneficium non subiectum religioni, sed solum ei subiectus quod ad beneficii conservationem, ex qua non inferatur acquisita ab eo successione, donatione &c. debere cedere religioni; quod si verum esse, non possent eorum administrationem habere, nisi pro voluntate prælati, cujus contrarium habet communis, pro qua doctrina citat Abb. inc. fin. h. t. n. 3. Nav. l. 3. conf. h. t. n. 70.

Rodriq. qq. regul. 2. q. 97. a. 7. Sa. v. relig. n. 64. Cæterum posse Episcopum vel beneficiarium regularem ad alium Episcopatum vel beneficium translatum, aut ad monasterium redeuntem secum transferre, quæ in priori beneficio acquisivit, tanquam verius sustinet Castrop. l. c. n. 19. eò quod Episcopatum vel beneficium retinens poterat sumptus, qui ejus sustentationi supererant, in usus pios impendere, adeoque non obligabatur eos in suæ Ecclesie utilitatem insumere, nisi forte ea egeret, ac consequenter poterat eos monasterio suo alterive Ecclesie, ad quam transfertur, non secus, ac pauperibus alterive operi pio applicare, ac ita translatus ad aliam Ecclesiam, utpote cujus jam sunt ista bona uti & frui potest illis bonis, verum de his plura cap. seq. pro quo citat Suar. ubi ante. n. 20. 21. quamvis illa altari seu Ecclesie, cui deservit, post mortem illius restituenda sint, si in vita ab eo distributa non sint, de quo intelligendum videtur c. statum. 18. q. 1. ubi dicitur, Episcopum regularem, quod acquisivit, restituere debere altari, ad quod sanctificatus & intulatus fuit. Qualiter verò acquisita à religiosis fugitivis vel ejectis, aut aliis illicito modo cedant monasterio, vel cameræ apostolicæ juxta constitutiones Pii IV. & Gregor. XIII. vide apud Castrop. l. c. num. 20. & dicitur paulò post.

## CAPUT IV.

## De transitu religiosi ab una religione ad aliam.

Quest. 843. An & quibus de jure permissus hic transitus?

**R** Esp. Primo: tamen si hodieum pleræque religiones privilegia habeant, vi quorum eorum professi ad aliam religionem transire non possunt, de quibus donat. tom. 1. tr. 5. q. 4. §. sitque variarum religionum statutis aditus ille occlusus alterius ordinis religiosi, ut videre est apud Reiffenst. h. t. n. 260. ita etiam, ut si vel brevissimo tempore habitum alterius ordinis gestaverint, non admittantur; sed neque regulariter loquendo transire & transeuntes recipere laudabile aut utile sit sine gravi causa, ut cum D. Thom. 2. 2. q. 189. a. 8. & communi Sanch. l. 6. moral. c. 7. n. 1. Rodriq. qq. regul. to. 3. q. 52. a. 1. hac super re longum sermonem D. Bernardi de præcep. & obed. inducens Pirh. h. t. n. 185. constatque experientia, raro in melius proficere istiusmodi transeuntes contra illud Apostoli 1. ad Corinth. 7. quævis in vocatione, quæ vocatus est permaneat. quin & licet de jure c. Joannes h. t. distinctè & indistinctè prohibeatur monacho aliique religioso ex monasterio, in quo professionem edidit, se temerè (id est, ex levitate vel inordinata animi passione, vel non petita, aut non obtenta licentia) transferat ad aliud monasterium ejusdem vel diversi ordinis laxioris vel strictioris, priori monasterio suo, adhibita coercitione competente reddendus, aut etiam ab eodem repetendus & vindicandus, paulò latius accipiendo nomen vindicationis, utpote quod aliàs non nisi domino respectu servi sui competit juxta L. in rem. ff. de rei vindic. quia per talem transitum violatur jus acquisitum priori religioni ut Suar. to. 4. de relig. l. 3. c. 9. n. 1. violaturque per talem transitum votum substantiale religionis, nimirum obedientie erga priorem, prælatum, dum monachus etiam stabilitatem loci promittit Arg. c. sicut, de jurejurando & c. statum. caus. 19. q. 33. quæ rationes univales sunt, probantque,

quod neque ad religionem laxiorem aut strictiorem transire liceat loquendo regulariter. Pirh. l. c.

2. Resp. Secundò: nihilominus de jure communi seu absolute loquendo, seclusa speciali prohibitione, dum pontifex etiam religioni laxiori privilegium concedere potest, ne ejus religiosi ad religionem strictiorem transire possint, tum ob conservationem illius religionis, tum ob vitandam inquietudinem religiosorum & pacem eorum conservandam, ut Castrop. loc. infra cit. religiosi omnibus licitum est de una religione ad aliam transire, servatis conditionibus ad hoc à jure requisitis, ut constat ex c. licet. h. t. ubi non tantum de monachis, sed & de Canonicis regularibus, Hospitalariis, Templariis. & c. 7. eod. & can. 3. caus. 19. q. 3. qui textus, etsi expressam mentionem non faciant de monialibus, comprehenduntur tamen & illa ob paritatem rationum ibi allatarum, dum etiam id expresse de iis dicitur can. 1. caus. 20. q. 4. & quæ in jure statuta de monachis, eadem in monialibus locum habeant nisi nominatim excipiantur. Abb. inc. ult. de stat. monach. n. 7. Sanch. l. c. n. 6. Suar. Castrop. LL. cit. ad fin. hujus quasi. Pirh. h. t. n. 158. Sed neque hic transitus iis olim concessus per Concilium Tributense, revocatus per Trid. & Pium V. clausuram iis distinctè præcipientes; cum per eam clausuram interdictus specialiter solum egressus è monasterio vagationi periculose obnoxius & regulari observantia propriaque perfectioni valde contrarius, unde etiã ad illum egressum seu transitum monialium non requiri eam licentiam de qua tr. c. unic. de stat. regul. in 6. & in Trid. Sess. 25. de regim. c. 5. cum ibi sermo de simplici egressu ex clausura, censet Castrop. tr. 16. d. 4. p. 26. §. 2. n. 4. sic etiam in specie tota religiosorum communitas seu conventus transire potest ad ordinem alium, ejus habitum & regulam assumendo. Arg. c. 3. §. ceterum. de stat. monach. Abb. ibid. n. 2. Rodriq. to. 3. qq. regul. q. 52. a. 6. Pirh. l. c. idque etiam liberè sine licentia Episcopi, ut Sanch. l. c. n. 7. contra Abb. apud Pirh. dum verò Tapia in antb. ingressi.

*ingressi c. de ff. Eccles. n. 39. Donat. 10. 1. prax. regular. p. 2. 17. 5. q. 30. à n. 1. & alii asserunt, opus in hoc casu esse speciali licentia Papæ ob textum c. su. de relig. domib. in 6. ubi dicitur: nullus ordo ad alium vel conventus ad alium se ac loca sua totaliter transferat, sedis ejus (Apostolicæ) super hac permissione specialiter non obtenta &c. id accipiendum, pro ut ex ipso textu patet, pro casu, quo fit totalis translatio ordinis vel monasterii seu conventus, nimirum personarum omnium unâ cum loco, talis enim transitus, cum importet ordinis approbati extinctionem, utique sedis Apostolicæ auctoritatem non secus quam ordinis approbatio, requirit. ubi verò persona duntaxat loco pristinae seu desertæ religionis relicto ad religionem aliam transeunt, sufficit licentia petita, licet non obtenta à Prælo inferiore; cum *cit. c. licet* ita transeundi licentia religiosis indistincta concedatur, & omnibus simul nupiam negetur. Wiestn. b. 2. n. 130. citatis pro hoc Sanch. & Rodriq. ubi ante Bonac. de clausu. relig. q. 2. p. 9. §. 2. n. 5. Item prælati ipsi & superiores regulares, siue sint exempti ab Episcopo aliove ejusdem ordinis superiore, transire possunt ad ordinem alium Pirh. b. t. n. 168. modo ab exemptis Papæ licentia petita & expresse non denegata ut Wiestn. LL. cit. Sylv. Religio 4. q. 3. Sanch. l. c. v. 7. n. 8. Donat. l. c. n. 32. Secus est de Episcopo regulari, relicto Episcopatu transituro ad alium ordinem, quam ex quo assumptus, hic enim eget expressâ Papæ licentia ad solvendum vinculum, quo Ecclesiæ suæ obstringitur. Barbos. in *cit. c. licet. n. 8.* Verum de hac licentia ad dictum transitum etiam superiori necessaria paulo post pluribus. Ac denique transire ad alium Ordinem licitum quoque est religiosis conversis siue laicis, quin & oblati, qui se suaque obtulerunt habitu non mutato, eò quòd in illa oblatione tacite includitur ista conditio: nisi ad perfectiorem statum me transferre voluero, Sanch. n. 9. Pirh. l. c. in fine Suar. To. 4. de relig. tr. 8. L. 3. c. 10. n. 1. Castrop. tr. 16. d. 6. p. 26. §. 2. n. 5. contra Abb. ne alias hæcorum oblatio, quæ fit in Dei obsequium & animæ salutem, esset Irrationabilis impediendo majus Dei obsequium majoremque eorum profectum spiritualem.*

*Quest. 844. An & qualiter necesse sit fieri ad Ordinem perfectiorem & strictiorem, & unde ordines dicantur tales?*

1. Resp. Primò: in his omnibus transeuntibus, ut fiat transitus licitè, requiritur ante omnia, regulariter loquendo, ut fiat ad religionem perfectiorem & strictiorem. Arg. *c. licet &c. sane h. t. juncto can. 1. caus. 20. q. 4. Abb. in c. licet. Fagn. ibid. n. 30. & seq. Anchor. in c. sanè. n. 6. Sanch. L. 6. mor. c. 17. n. 20. Roderiq. l. c. tom. 3. q. 52. a. 4. Donat. l. c. q. 36. Pirh. b. t. n. 159. cum communi. Dixi regulariter loquendo: nam etsi jure communi transitus à strictiore ad laxiorem religionem permissus non sit, infirmitatis tamen, debilitatis, necessitatis parentum, cui in strictiore religione occurrere non potest, aliave justa de causa concedi potest, non tantum à Papa, & à generalibus & similibus Prælati ordinum exemptorum; quin & ordinum non exemptorum accedente consensu Episcopi Diæcesani. Sanch. l. c. n. 49. & 65. Wiestn. h. t. n. 119. cum communi. Et sic in societate Jesu Præpositus Generalis religionis suis etiam professis hodie dum concedere potest licentiam transeundi ad quemcunque alium medicantium, vel non medicantium ordinem ex speciali & aliis religionibus per viam solius communicationis non concessio privilegio, inducto à Gregor. XIII. *confut. cum alias. de anno 1582.* dum alias ad ali-*

um quam Carthusiensium ordinem, & ad hunc semel duntaxat sine præpositi Generalis licentia transire & transeuntem admittere sub pœna excommunicationis Papæ reservatæ nemini liceret per constitutiones Pauli III. quæ incipit: *Licet debitum.* edita anno 1549. 15. Calend. Novemb. & Pii V. incipientem: *aguum reputamus. de anno 1565. ib. Calend. Feb. de quibus late agentem vide Castrop. l. c. §. 6. per totum.*

2. Resp. Secundò: in eo, quis ordo sit strictior, & num, qui est perfectior, hoc ipso sit strictior, & contra, non ita conveniunt AA. in quo illud certum videtur primò, strictiorem religionem non præcisè dicendam ex prima sui institutione, sed & ex constitutionibus seu ordinationibus cum tempore ei adjectis, & vel maximè ex præsentem earum observantia; eò quòd, cum transitus hic fieri debeat in ordine ad ducendam vitam arctiorem, qui finis non obinetur, transeundo ad religionem secundum primævam sui institutionem strictam quidem, sed quæ cum tempore præsentem ejus observantia relaxatà evasit dissoluta. ita Abb. in *cit. c. sanè. n. 4. Azor. p. 1. L. 12. c. 14. q. 8. Wiestn. n. 118. Pirh. b. t. n. 159.* Item quòd, dum dubitatur de moderna strictiore observantia, de hoc djudicare pertinet ad superiorem *cit. c. licet.* non tamen eum, cui transire cupiens immediate subjectus est; cum is, ortâ controversiâ inter ipsum & subditum suum, nequeat esse judex in propria causa contra *L. unic. c. nequis in prob. caus.* sed ad eum, ad quem subditus transire volens, si injuste gravaretur, appellare posset Sylv. v. religio 4. q. 1. Sanch. l. c. n. 15. Barbos. in *c. licet. n. 24. Wiestn. l. c.* De cætero in ordine ad hunc transitum religionem re ipsa censi strictiorem, non quæ perfectior, sed quæ durior, asperior, arctior, ipsique sensualitati magis contraria, ob frequens jejuniùm, nuditatem, asperitatem habitus, vigiliis, silentium, solitudinem, afflictiones & mortificationes corporales, videtur habere communiò, quam festantur Abb. in *c. sanè. h. t. n. 10. Anchor. ib. Roderiq. l. c. n. 4. Sanch. cit. c. 7. n. 2. Less. l. 2. c. 41. n. 100. Azor. p. 1. L. 12. c. 15. q. 2. Laym. L. 4. tr. 5. c. 6. n. 10.* quos citat & sequitur Pirh. n. 159. & quibus adheret Reiffent. h. t. n. 163. contra d. Tho. 2. 2. q. 189. a. 6. Sylv. mirand. & alios apud eum. & sic rectè statuti ait Pirh. ad lites vitandas; cum, quæ religio sit austerior & strictior, magis pateat, quam quæ ad perfectiorem finem per media magis proportionata tendit. His non obstante, quòd quæ rigidior, ea, non semper sit absolute perfectior, majore perfectione desumpta a fine perfectiore, ad quem religio ordinatur & proportione mediorum, quib⁹ ad illum finem obtinendum utitur, ut supponunt Sanch. l. c. n. 21. Less. Laym. l. c. cit. apud Castrop. tr. 16. d. 4. p. 26 §. 1. n. 1. qui tamen ipse n. 2. citatis pro hoc Paludan. in 4. dist. 39. q. 2. n. 17. & Suar. tom. de relig. tr. 8. L. 3. c. 9. n. 12. verius censet religionem perfectiorem eo ipso absolute strictiorem, duriorum ac severiorem esse; eò quòd, quò perfectior est, perfectiores actus virtutis exerceat; actus autem virtutis quò perfectior, eò sit difficiliò; cum virtus versetur circa difficile. Ad hæc religio perfectior vota tria substantialia, in quib⁹ essentia religionis consistit, strictius & perfectius observare debeat rigore & severitate religionis in hac observantia consistente, unde etiam *cit. c. licet. b. t.* concedens hunc transitum à laxiore ad strictiorem religionem utatur indifferenter nominib⁹ strictioris & sanctioris, quib⁹ tamen non obstantib⁹, addit religionem minus perfectam & strictam esse posse strictiore in quò ad corporis afflictiones religionem perfectiore, juxta q uæjam

3. Resp,

7. Resp. Tertiò: licitum est transire a religionè minus perfecta ad perfectiorem, esto hæc sit laxior quò ad corporis afflictiones. Suar. l. c. num. 1. Sanch. *cu. c. 6. n. 3.* Castrop. *cit. p. 26. §. 2. n. 2.* cum hæc ratione major utilitas propria majusque Dei obsequium ob quod religionem ingrediens & in illa proficiens se ei tradit, intendatur & obtineatur. Adde, quòd optimè consistant juxta dicta religionem aliquam esse strictiorem quò ad corporis asperitates, & tamen non esse absolutè strictiorem; eò quòd in observatione castitatis, paupertatis, obedientiæ vi constitutionum suarum non ita strictè procedat.

*Quæst. 845. An & qualiter, & cujus licentia requiratur ad licitè transcurrentem ad religionem aliam etiam strictiorem.*

1. Resp. Ad primum: requiritur necessariò, ut transiretur licentiam transeundi à superiore petat cum humilitate & puritate, ne bonum obedientiæ contemnere videatur. Juxta expressum textum *c. licet. h. t. quoniam.* Etque hæc petitio sub gravi obligatione, ita ut, si eà omisâ fiat transitus ille, peccatur mortaliter termino illo *debet*, quo utitur textus *cit. cap. licet.* uti & ratione ibidem additâ, nimirum ne contemnatur obedientia, rationem præcepti graviter obligantis importante & satis declarante ac ita cum communi sentiunt Nav. l. 3. *cons. tit. de regular. conf. 59. alias 42.* Suar. *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 3. c. 10. num. 17.* Sanch. l. 6. *sum. c. 7. n. 33.* Roderig. *tom. 3. 99. regul. 2. 52. a. 2.* Castrop. l. c. §. 3. n. 1. Pirh. *h. t. n. 161.* posse tamen religiosos militarium ordinum, qui in claustris vitam communem non agunt, sine licentia superiorum suorum transire ad religiosos claustrales ex decisione rotæ ait Barbos. *in c. licet. n. 10.* apud Pirh. *num. 136.* Sed neque statim post hanc licentiam petitam transitus hic fieri potest, sed expectandum responsum, competente tempore, nimirum quòd necessarium ad examinandum (uti ad hoc tenetur concessurus licentiam, ut Jo- andrea *in c. licet. n. 3.* Host. *ibid.* Sanch. l. c. n. 3. Reiffenst. *h. t. n. 269.*) num religio ad quam petitur transitus, sit perfectior, num transiretur recto spiritu ducatur, num religio, à qua transiretur, patiat inde grave detrimentum. Jo- and. l. c. n. 6. §. 7. Abb. *in c. licet. n. 9.* Fagnan. n. 30. & seq. Sanch. l. c. n. 35. & 37. Suar. *tom. 4. de relig. tr. 8. l. 2. c. 10. n. 30.* Castrop. *cit. §. 3. n. 3.* Pirh. l. c. Reiffenst. n. 268. juxta *c. cum in veteri delect.* ubi, quòd, qui licentiam vel consilium petit, teneatur debito tempore expectare responsum. Quo tamen responso justo diutius dilato, vel etiam licentiâ denegatâ à superiore ob causam frivolam vel manifestè falsam (quam ubi is non exprimit, subditus ab eo petere potest & debet, & is manifestare eam tenetur) potest subditus libere discedere juxta *cit. c. licet.* Ubi dicitur, posse illum petitiâ, etsi non obtentâ, licentiâ discedere, obstantè nimirum proterva indifferetè contradictione prælati; de qua in hoc casu constat, multoque magis, si judicans subditum habere causam, neget licentiam. Abb. Pirh. Reiffenst. l. l. *cit.* Quòd si verò superior verisimilem causam licentiâ denegatâ alleget, ita ut res sit dubia, dubio hoc pendente, subdito non licet transire, sed prius adeundus Prælati superior, ad quem appellari potest, & ejus judicio res decidenda. Sylv. v. *relig. 4. q. 1.* Abb. Pirh. *LL. cit.*

R. P. Lehr. *Jur. Can. Lib. III.*

Reiffenst. *num. 269.* juxta *cit. c. licet. §. severò.* Ad hæc, obtentâ licentiâ obtinere quoque debet transiretur literas dimissorias prælati sui prioris, sine quibus admitti non debet. Fagn. l. c. *num. 50.* Sanch. l. c. n. 39. Castrop. l. c. n. 4. Pirh. n. 161. Reiffenst. *h. t. num. 273.* juxta *c. statum c. 19. q. 3.* vel sine dimissoriis veniat, interrogari debet illius superior, num licentiam dederit, & si eam denegarit, causam negandi dicere, quæ, si manifestè justa est, debet remitti ad superiorem priorem, si dubia est, aut transiretur in continenti velit probare eam esse falsam, debet eum ad superiorem altiore dirigere, ut coram eo prius negotium expediat, absque eo, ut ipse se controversiæ immisceat, & non, nisi eò expedito, eum admittere ita AA. citati. De cætero, etiam ubi de justa causa transiendi constat superiori dimissurò, adhuc licentiam concedere non debet, priusquam ei constet, religionem strictiorem, ad quam transire intendit paratam esse eum recipere, ne occasionem habeat vagandi. Castrop. l. c. cum Lopez. *lib. 9. lit. 7. part. 1.* & si ipse subditus recedat, censeatur apostata, cum se sub nullius obedientia constituit ut Pirh. l. c. citatis Jo- and. *in cap. ult. de renunc. n. 7.* Abb. *ibidem num. 3.* quamvis tamen superior ei concedere quandoque possit licentiam egrediendi è monasterio, & tantisper extra illud morandi ad inquirendam religionem strictiorem, & ad commodius sollicitandam sui in eam receptionem, ita tamen, ut sub prioris superioris obedientia maneat, donec inveniat talem, & in eam admittatur. Sanch. l. c. n. 38. Castrop. Pirh. *LL. cit.*

2. Resp. Ad secundum primò: superior ordinis non tantum mediatus, puta Generalis, provincialis, sed & immediatus seu localis conventus seu monasterii hanc transiendi licentiam concedere potest, Abb. *in c. non est h. t. num. 6.* Sylv. v. *religio. 4. q. 3.* Azor pag. 1. l. 12. c. 14. q. 7. Sanch. l. 6. *mor. c. 7. num. 59.* Fagn. l. c. *num. 36.* Castrop. l. c. *num. 5.* Pirh. *h. t. num. 162.* Reiffenst. *num. 270.* Arg. *c. licet h. t.* ubi solius prælati (qualis quoque est superior localis) meminit pro ut etiam id ipsum rectè infertur ex eo, quòd in casu dubiæ causæ vel injustè negatæ licentiæ adiri debeat superior major; supponitur enim, per hoc hanc facultatem spectasse ad superiorem minorem. Quod si verò in religione aliqua hæc potestas dandi hanc licentiam reservata esset Generali, vel provinciali, non sufficere eam petere ab immediato superiore astuit Suar. *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 3. cap. 10. num. 30.* Quod verissimum dicit Castrop. l. c. *num. 6.* Si hæc reservatio facta ex facultate Papæ, secus sibi videt, si solum ex constitutionibus religionis aut ex speciali mandato Generalis vel provincialis facta, eò quòd religio videatur non posse derogare juri communi, quo ea potestas concessa superioribus immediatis, quamvis addat, quòd, si localis superior judicet expedire, ut rem tractet cum generali, expedendo ejus consilium, subditus expectare teneatur. De cætero necessarium non erit, hanc licentiam peti ab Episcopo, etiam si monasterium non sit exemptum, & monasterium religionis strictioris sit in alia diocesi; quia nullo jure id cavetur. Abb. Pirh. *LL. cit.* Sanch. *num. 60.* Excepiuntur tamen quò ad hoc moniales; utpote quæ pollentes sola potestate dominativa in ordine ad domesticam & politicam gubernationem, non veniunt nomine prælatorum, adeoque ab iis non est licentia postulanda, sed ab Episcopo (saltem si non sint exemptæ,

II ii

ut

ut Pirh.) vel praelato regulari, cui sunt immediate subiecta. Sanch. *l. c. num. 61.* Castrop. Pirh. *LL. cit.* Rodriq. *tom. 3. qq. regul. q. 52. a. 6.* Sed neque ad hoc requiritur consilium, multoque minus consensus conventus juxta communioem ob eandem rationem, & quia praelatus ipse hunc transitum impedire non potest, ut pote quem jus ipsum concedit. Sanch. *num. 62.* Pirh. *l. c.* estque hujus licentia actus jurisdictionis, competens praelato ratione officii, in cuius usu consensus capituli non requiritur. Quamvis addat, aliquos AA. censere tutius etiam hunc consensum à conventu requiri. His non obstante, quòd *cit. c. statimimus* prohibeatur transitus sine patris & totius conventus consensu. etiam, ut notat Fagn. in codicibus antiquis & correctis particula *Et* non inveniatur, adeoque legendum: à patre totius conventus. Neque, quòd *eod. can. in fine* dicatur: *communi cautione.* Cum, ut Fagn. id *communi* referatur ad superiorem dimittentem & recipientem. Astruit nihilominus Pirh. *num. 165.* cum citato à se Sanch. *cit. cap. 7. num. 66.* requiri consensum illum capituli seu conventus, dum transitus fieret ad religionem æqualem, tam exemptorum, quam non exemptorum, ex ea ratione, quòd in hoc casu intervenire videatur quaedam veluti alienatio personæ, adeoque sit unum ex negotiis arduis, quæ sine consensu capituli expediri nequeunt (qualis alienatio non intervenit, dum transitur ad religionem strictiorem, cum tunc subditus non tam alienetur, quam in melius mutetur autoritate superioris, ipseque religiosus licentiâ solum petita, potestate ad hoc à jure ei concessâ transferat se ipsum. Ut Pirh. *l. c.* cum Fagn. *inc. ult. de renunc. num. 18. § 19.* Idem cum gl. *inc. cum singula de prob. in 6. v. canonicè card. inc. fin. de renunc. num. 2.* Lels. *lib. 2. cap. 41. du. 13. num. 103.* sentit Castrop. *l. c. num. 9.* ex ea ratione, quòd, etsi in hoc casu non contingat alienatio aliqua, dimittere tamen religiosum & illius debitæ obedientiæ cedere pertineat ad commune religionis bonum & conservationem; de his autem quæ ad illud pertinent, praelatus sine consensu suæ congregationis disponere nequeat, ad eoque is non minus ad hanc dimissionem, quam ad amissionem ad professionem spectet. Et hæc de subditis volentibus transire. Superiores verò ipsi volentes transire, si sint immediati, licentiam hanc petere debent à provinciali suo, & hic à generali, & is denique à Papa. Sylv. *l. c. quest. 3.* Azor. *cit. c. 14. quest. 7.* Sanch. *cit. cap. 7. num. 59.* quos citat. & sequitur Pirh. *h. t. num. 163.* quamvis Reiffenst. *num. 271.* citatis Fagn. *in c. licet num. 41.* Donat. *tom. 1. tract. 5. quest. 32.* absolute & generaliter astruat, superiorem vel praelatum nulla ratione sine expressâ licentia Papæ transire posse. eò quòd *cit. c. licet. §. Si verò dicatur: Nullus absque licentia Romani Pontificis presumat occasione quacunque deserere presulatum.* Quod tamen credo intelligendum, non nisi de Episcopis & supremis ordinum regularium exemptorum capitibus.

3. Resp. Ad secundum secundo! ad transeundum ad ordinem, non tantum æqualem, sed & laxiorem ex causâ justa sufficienter cognita subditis religiosi dare posse licentiam praelatum Papâ inferiorem, puta provincialem, vel saltem Generalem respectu exemptorum, vel Episcopum respectu non exemptorum, tamen si Papa facillè adiri posset (quamvis tutius sit, ut in hoc casu petatur licentia

à papa, si non sit periculum in mora ut bene Pirh.) probabilis videtur & ita sustinent Abb. *inc. non est num. 6.* Navar. *lib. 3. conf. 56.* Sylv. *v. relig. 4. quest. 2.* Azol. *pag. 1. lib. 12. cap. 15. quest. 1.* Lels. *lib. 2. cap. 41. num. 106.* Sanch. *l. c. cap. 7. num. 68.* Quos citat & sequitur Pirh. *h. t. num. 166.* Idem tenet Castrop. *Loco paulò post citando.* ubi & rationes oppositas *num. 4.* fuse dissolvit *n. 5.* quem vide. contra Fagn. *incap. ult. de renunc. num. 27. § 35.* ex ea ratione, quòd talis facultas videatur necessaria ad rectam gubernationem religionis. Porro requiritur in hoc casu licentia non tantum petita, sed & obtenta. Lels. Sanch. *LL. cit. Pirh. num. 168.* ob rationem præcedentem allatam ex Castrop. consensus conventus secundum dicta, quin & in foro externo, ut fides habeatur licentiæ concessæ in hoc casu, requiri scripturam, seu testimonium authenticum justæ causæ legitimæ cognitæ, cum Nav. *l. c. & Sanch. n. 69.* Pirh. *l. c.* in fine. Dixi tamen: *ex juxta causa.* quia, si nulla est justa causa transeundi, solum papam posse dare licentiam transeundi ad ordinem laxiorem, ait Pirh. *num. 167.* cum quo tamen non video, quomodo subsistat, quòd addit, nimirum talem licentiam non excusare in foro conscientia, prodesse tamen in foro externo, ne quis transeundi item moveat, vel aliam molestiam inferat. Pro quo citat Sanch. *l. c. num. 67.* Quia dum nulla allegatur, aut etiam allegari potest justa causa à petente transire, Papa aliud præsumere nequit, quam peti ex levitate aliave sinistra & non rationabili intentione, quo casu papa saltem licitè concedere nequit licentiam. Quin & papam nec licitè, nec validè posse concedere licentiam absque causâ transeundi ad religionem laxiorem, absolute tenet Castrop. *tract. 16. d. 4. p. 26. §. 5. n. 2.* citatis pro hoc Nav. *Comment. 4. de regul. num. 10. § 1. 3. conf. tit. De regul. conf. 56. num. 2.* Rodig. *qq. regul. tom. 3. quest. 52. a. 10.* Lels. *l. 2. de just. c. 41. du. 13. num. 102.* Azol. *lib. 12. cap. 14. quest. 8.* Sanch. *l. c. num. 64. juncto num. 51.* Suar. *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 3. cap. 11. num. 14.* eò quòd talis concessio contineat quandam dispensationem, mutationem votorum præexistentium in vota minus perfecta, quæ fieri nequit sine causa. Idem tenet de transitu ad religionem æqualis rigoris, quia tenet commutationem voti in æquale requirere necessario causam, dum aliàs censeatur Deus juri per promissionem acquisito non cedere, nisi alia cessio in majorem illius gloriam cedat. De cæterò causa justa petendi & concedendi licentiam transeundi præcisè ad laxiorem, vix alia est, ut Fagn. *l. c. num. 39. § 40.* quam infirmitas & debilitas corporis, ob quam statuta & rigorem ordinis perferre nequit, alia siquidem causæ quæ afferri solent, ut quia odia & similitates vigent in ordine vel monasterio, à quo transire quis cupit: quia ipse odiosus est aliis fratribus, vel male tractatur nullâ causâ datâ, quia ob aliquod delictum infamatus est cujus merore continuo afficitur necessitas parentum, cui melius succurritur in religione laxiore, cum cessare possint non minus in alio monasterio æqualis vel etiam majoris rigoris, quàm laxiore, videntur non sufficientes ad concedendam licentiam discedendi ad ordinem laxiorem ubi tamen Papa ob tales similesve causas concederet absolute licentiam transeundi ad quemcunque alium ordinem, intelligenda concessio de ordine etiam laxiore utpote qui generali hæc particula comprehenditur. Pirh. *num. 168.* qui tamen

men cum citatis à se Sanch. *l. c. n. 35.* & Rodriq. *l. c. quest. 52. a. 11.* Nav. *l. c.* astituit non comprehendit sub ea ordines militares, etsi à sede apostolica approbatos sic quoque è contra, dum Papa concederet alicui ordini privilegium, ne transire quis posset ad quamcunque aliam religionem (quod utique potest ob bonum publicum alicujus religionis, uti id de facto concessum est à Paulo III. Pio IV. & Pio V. societati, excepto solo ordine Carthusianorum citra participationem hujus privilegii à mendicantibus factam, ut Fagn. *in c. licet. h. t. num. 22.* contra Sanch. *l. c. num. 28.*) comprehenditur etiam ordo strictior, etsi aliàs, dum simpliciter concederet privilegium non transeundi ad alium, non comprehenderetur ordo strictior. Sed ad hunc adhuc petita venia permitteretur transitus de quo vide Pirh. *h. t. num. 168.*

*Quest. 846. Quæ præterea conditiones requirantur ad transitum ad aliam religionem.*

1. Resp. primò: inter cæteras condiciones requiritur, ut transitus non fiat ex temeritate, vel levitate, vel ex passione inordinata, v. g. ex ira, vel odio erga prælatum suum vel affectione vana amplioris excellentiæ & æstimationis in alio ordine consequendæ, aut etiam majoribus perfruenti commoditatibus, dum appetitur ordo laxior, aut in quo lautius vivitur, sed ex desiderio & amore majoris perfectionis propriæ obtinendæ, animam securius salvandi & declinandi pericula in sua religione fortè plus æquò laxa occurrentia: qui Zelus bonus præsumendus, dum conjecturæ in contrarium (quales essent, si præcessissent rixa vel minatus quis esset transitum, ut Fagn. *in c. licet. num. 30.*) non adessent. Quòd sit tamen, ut habeatur *cit. c. licet.* dubitetur de intentione sincera & rationabili transitum petentis, recurrendum sit ad judicem superioris, qui ex concurrentibus conjecturis desuper judicet & determinet. Sanch. *L. 6. mor. cap. 7. num. 11. & 12.* Pirh. *num. 160.*

2. Resp. Secundò: requiritur quoque, ut transitus hic non fiat cum notabili detrimento in temporalibus, aut spiritualibus, vel etiam in fama religionis vel monasterii, à quo disceditur. Abb. *in c. licet. num. 12.* Fagn. *ibid. num. 24.* Sanch. Pirh. *LL. cit. juxta c. licet. ubi: ne in iacturam vel injuriam sui ordinis.* Unde aliam dum transiturus causam transeundi habet defectum religionis, quam deserit, hunc quidem, si velit, coram suo superiore allegare potest; non tamen manifestare religioni, ad quam transit, ne religionem deserat infamet. Reiffenst. *h. t. num. 277.* Et hæc ex ea ratione, quòd bonum commune religionis relicta prævalere debet privata utilitati, etiam spirituali religiosi transeuntis; adeòque nemo debeat esse causa scandali, aut agere contra justiciam, exercendo actum, etiam aliàs caritatis. Unde, ut Host. Anchor. Innoc. *in c. licet.* Sanch. Pirh. *LL. cit.* Sicut Ecclesiæ læsæ in temporalibus competit restitutio in integrum, eamque petere potest, ita multò magis læsæ in spiritualibus per translationem personæ religiosæ sibi subditæ, famæ suæ injuriosam, hanc restitutionem petere, & personam translata repete potest, eaque illi restituenda. Non tamen ita facile ex tali transitu unius aut alterius præsumendum aut suspicandum, quid sinistra de

R. P. Leur. *Jur. Can. Lib. III.*

tali religione, dum viri prudentes sciunt, transeuntem uti jure suo, & ad talem transitum sufficere, quòd religio deserta non sit ita stricta, etsi sancta.

*Quest. 847. Quenam cause sint sufficientes concedendi licentiam transeundi ad ordinem laxiorem.*

Resp. Præter ea quæ desuper dicta *quest. ante penultima.* Majores causæ requiruntur transeundi ad ordinem æquè strictum, quam ad magis strictum, uti & majores respectu ordinis laxioris, quàm respectu ordinis æquè stricti quia est major votorum relaxatio. Castrop. *cit. §. 5. num. 6.* desumuntur ex extrinseci capite, primò ac præcipuè ex parte transitum petentis, quæ præter relata sunt supra *quest. penult.* quæ, etsi omnes, ut dictum ibi, excepta primâ & ultimâ, non videantur sufficientes ad concedendum transitum ad ordinem præcisè laxiorem (nisi fortè non adesset in vicinia aliæ religio æqualis vel strictior, aut admissio ad aliam æqualem vel strictiorem impetrari nequiret) loquendo tamen in genere sufficientes sunt ad transeundum ad alium ordinem, etiam laxiorem, dum major ex transitu ad illum speratur spiritualis profectus (qui est præcipuus finis cur religio suspiciatur) quam ex perseverantia in ordine strictiore aut æquali, prout docet Castrop. *l. c. citatis Abb. in c. non est h. t. num. 6. Azor. p. 1. lib. 12. cap. 14. quest. 8. Sanch. cit. cap. 7. num. 71. Suar. com. 4. de relig. tract. 8. lib. 3. cap. 11. num. 22.* Ostenditque hoc ipsum eundo per singulas causas. Ut dum ad onera strictioris ordinis sustinenda minus aptus, passim indiget dispensatione aliis odiosa, & sibi petito molesta, per quæ impeditur spiritualis profectus. Dum, si in religione strictiore vel alia æquali malè & iniquè tractetur, periculum est impatientiæ & caritatis amittendæ, ut Suar. *l. c. num. 24.* Sanch. *num. 72.* Dum, si ob delictum in religione sua commissum infamatus, continuo pudore & tristitia, quæ spirituales profectus impediunt, afficitur, ut Sanch. *l. c. uti & illum profectum valde impediunt, dum, quia parentibus graviter egentibus in religione strictiore ita succurrere nequit, anxius & sollicitus redditur, ut cum Suar. & Sanch. LL. citat.* Castrop. *l. c.* Secundò ex parte religionis deferendæ, puta si ob continuas corporis indispositiones aliasque ob causas eidem reddatur inutilis, si ob aliquos in ea socios, quos vitare non potest, versetur in periculo violandi vota, & regulas transgrediendi. Quas tamen causas potius reducendas ad causas tenentes se ex parte ipsius religionis alterius laxioris assumendæ; dum nimirum ex transitu illius speratur magna illius utilitas. Verùm, cum hæc causa non cedat in specialem utilitatem religiosi, aut etiam religionis desertæ, sed potius in hujus detrimentum, ob eam prælatos religionis desertæ non posse concedere, sed solos prælatos utriusque religionis desertæ & alterius adeundæ communes, cum Suar. *l. c. lib. 9. cap. 11. num. 24.* astituit Castrop. *cit. num. 6. in fine.*

*Quest. 848. An transeunti ad ordinem alium illius novitiatus subcundus, & denuo in eo emittenda professio.*

1. Resp. Ad primum: de eo satis dictum supra *cap. 2. hujus tit.* Ubi qualiter novitii ex novitiatu dimissi debeant de novo subire novitium, quod



quod ipsum etiam dicendum de iis, qui in religione deferta fuerunt superiores.

2. Resp. Ad secundum: legitime translatus ad alium ordinem, debet quoque expleto in illo novitiu de novo professionem edere, secundum regulas & observantias istius ordinis, si ea sint diversa ab observantiis ordinis relicti; idque sive sit translatus, ut sit praelatus, sive ut in eo sit simplex monachus. & ita tenent Nav. lib. 3. cons. 60. h. 1. Roderig. 99. tom. 3. quest. 52. a. 26. Sanch. cit. cap. 7. num. 85. Mirand. in man. pral. quest. 31. concl. 1. & 2. quos citat & sequitur Pirh. h. 1. num. 181. ex ea ratione, quod per talem transitum perdat omnia jura prioris ordinis & monasterii, adeoque, ne remaneat sine omnibus juribus, ad acquirendum loco illorum ordinis de novo assumpti jura necesse est in eo profiteri ad observantias illius. Sufficit autem sic eum profiteri tacite, nimirum hoc ipso, quo in eo praelatus eligeretur, & in electionem sui consentiens confirmaretur. Non tamen teneretur talis translatus servare amplius vota specialia emissa in priore religione verb. grat. abstinere à carnibus, utpote quæ annexa fuerunt priori professioni, quæ jam cessat per transitum illum & novam professionem. Pirh. num. 182. cum Sanch. l. c. num. 87.

*Quæst. 849. Transiens ad alium ordinem vel monasterium quænam secum conferre possit.*

1. Resp. Primò: per se loquendo & de jure licite & valide transiens, sive ad laxiorem, sive ad strictiorem ordinem nullo modo secum deferre potest in priore religione acquisita quovis titulo, puta, suâ industriâ, labore, donatione, successione, legato; quia ea omnia priori religioni jure sic disponente sunt acquisita. Ita Nav. comment. 4. de regular. num. 24. Covar. c. 1. de testam. à num. 20. Surd. de aliment. cap. 9. quest. 27. n. 8. Molin. de just. tom. 1. d. 140. circa finem. Suar. tom. 4. de relig. tract. 8. a. 3. cap. 13. num. 2. Quos citat & sequitur Castrop. tract. 16. d. 3. pag. 17. num. 1 dixi: per se loquendo & de jure: nam ex tacito consensu prioris religionis & consuetudine recepta vestes (et si hæc distinctæ à vestibus ordinis, ad quem sit transitus; non tamen duplicatas conferre potest) ita ut posterior religio facta in ea professione non teneatur restituere priori, esto ad id ab ea per se obligari possit. Suar. l. c. num. 8. Sanch. lib. 7. decal. cap. 32. num. 13. Castrop. num. 2. de cæterò.

2. Resp. Secundò in specie de aliquibus, circa quæ specialiter dubitari poterat. Ac primò quidem libros conferre nequit, etsi eos à cognatis acceperit, licentiamque habuerit eis utendi; quia hæc licentia revocari potest, & de facto revocata censetur, dum ad religionem aliam transit. Castrop. l. c. sed neque scripta sua, etsi hæc ad scientiam & doctrinam in priore religione comparatam conservandam videantur necessaria, nisi fortè priori religioni sint inutilia, aut ad id illius praelati tacitus consensus. Nav. cons. 35. h. 1. num. 2. edit. num. 10. Roderig. l. c. tom. 2. quest. 79. a. 2. in fine. Castrop. l. c. testans de communi. Etsi apud eundem Suar. l. c. num. 10. non audeat condemnare eum, qui illa unica conferret, præsertim animo ea restituendi priori religioni, quàm primò absque gravi incommodo posset. Idem de instrumentis artis, quod de libris, censent Castrop. quem de hoc vide.

*Quæst. 850. Legatum & hereditas o-*

*blata religioso transiendi ad aliam religionem cui cedant, an priori, an posteriori religioni.*

3. Resp. Ad primum: Legatum ei illius capaci tempore mortis testatoris commoranti in priore religione factum absolute conferre nequit, utpote priori religioni plene acquisitum absque dependentia ab accidentaliter mutatione per discessum ab ea. Sanch. lib. 7. sum. c. 32. num. 14. & 15. Suar. l. c. cap. 14. num. 8. Castrop. l. c. num. 3. non obstante, quod ei concessum ad usum; cum subintelligendum, si in ea religione permanferit. Dum verò legatum factum illi sub ea conditione, si religio ei usum illius concesserit, & ea hunc usum non concessit, amittitur, nec tamen religioni de novo assumptæ acquiritur, nisi id expressum fuerit, sed ad hæredes transit.

4. Tertiò: hereditatem ei commoranti in priore religione successione capace oblatam, non tamen adhuc ab eo aut religione illa aditam post transitum illius: cedere religioni de novo assumptæ & non religioni priori desertæ; quæ sibi imputare gebet, quod eam dum potuit, non adivit, satis probabiles affirmant. Bart. in lib. 2. §. si servus ff. de bonor. poss. 2. tab. Bald. in L. si quis mihi. ff. de acquir. hered. & alii citati à Sanch. lib. 7. sum. cap. 31. num. 17. ex ea ratione, quod in acquirenda hereditate non inspiciatur tempus, quo ea oblata alicui, sed quo ea adiri potest juxta §. in extaneo. Inst. de hered. qual. & differ. Ut id confirmatur exemplo servi, cui delata hereditas, qui ante aditionem illius mutavit dominum, cui posteriori domino competit in hoc casu hereditas, & is solus eam adire potest, prout expressè deciditur l. si servus ejus ff. de acquir. hered. §. l. 2. §. 1. ff. de bonor. poss. 2. tab. Contrarium nihilominus verius & probabilius tenendum cum Sanch. l. c. num. 18. Covar. de testam. c. 1. n. 21. Lefs. l. 2. c. 41. du. 11. n. 88. Molin. l. 2. de primogen. c. 13. num. 36. censet Castrop. tract. 6. d. 3. p. 17. §. 1. num. 5. ex ea ratione, quod eo ipso, quo monasterio oblata est hereditas ob personam sui religiosi, competit ei jus eam adeundi, quod jus religiosus ei adimere, transferendo illud secum ad aliud monasterium deferre non potest; quia jam amplius ab illius voluntate non dependet, sed ex lege, qualis nulla est, quæ indicet jus illud amitti à priore religione, & transferri in aliam ita Castrop. qui, num sufficienter diluat fundamenta appositæ, vide apud illum & expende. Quod si verò prior religio, in qua commoranti offerebatur hereditas, erat in capax successione, & ea, ad quam transit, capax est illius, non tamen hæc secunda eam adire potest, sed aditio competit hæredibus ab intestato; quia neque prior ob incapacitatem succedendi eam adire potest, nec secunda, cum jus acquisitum hæredibus per oblationem factam incapaci illius hæredibus eripi nequeat, ita cum Sanch. l. c. num. 22. Castrop. num. 7. Idem dicentes de religioso ex ordine incapaci successione translato ad Episcopatum. Sic etiam, si existens in religione incapace successione, instituitur hæres, licet tempore, quo instituens mortuus est, institutus transferat ad aliquam religionem capace successione, neque transiens, neque ejus nomine religio ad quam transit, succedit; quia institutio ex qua successio provenire debet, fuit nulla, utpote facta de persona incapace, Castrop. l. c. num. 8. Porro num is, cui commoranti in sæculo delata hereditas, ante illius aditionem profiteatur in ordine incapace

successionis, translatus ad Episcopatum vel alium Ordinem capacem, possit eam adiuic adire, aut Ordo ejus nomine; in hoc inquam non ita conveniunt AA. affirmant cum Feder. de senis. *conf. 26. n. 2. & 3.* Sanch. *L. 7. sum. C. 32. n. 27.* Rodriq. *99. reg. lit. 2. q. 79. a. 1.* Mencha. *in 99. usu frequent. L. 1. c. 1. n. 25.* & alii apud Castrop. *n. 9.* qui tamen ipse cum Fabr. *in §. in extraneis Inst. de hered. qualit. & differ. n. fin.* verius censet, non posse talem hereditatem adire, sed aditionem competere heredibus ab intestato, ex ea ratione, quod professione facta in religione incapace succedendi jus adeundi hereditatem, quod habebat, amiserit, eo non fecus ac aliis actionibus & juribus ad heredes translato absolute absque omni conditione, dum ex nullo textu constat, translationem illam conditionalem esse, & status religiosus vel perpetuus assumatur, Adeoque ex capacitate superveniente per translationem nimirum ad Episcopatum vel religionem capacem jus illud amissum translatumque ad heredes recuperare non possit. Unde tamen non sequitur, substitutum quoque post substitutionem sui ingressum religionem successionis incapacem, ac dein ad Episcopatum aut religionem successionis capacem translatum non posse hereditatem acquirere, substitutione sui per ingressum illum extincta, & jure adeundi hereditatem ad heredes devoluto. Nam in substitutione inspicienda capacitas substituti, non pro tempore testamenti facti, nec pro tempore mortis testatoris (cum sæpe necdum nati substituantur) sed pro tempore illius, cui quis substitutus est, ita, ut, si eo tempore fuerit capax (qualis est religiosus pro tempore, quo translatus ad Episcopatum, aut aliam religionem capacem successionis) possit adire hereditatem; quia non nisi pro eo tempore deferretur ei hereditas, & jus adeundi acquirit, fecus si haeres, cui substitutus est, moriatur ante hanc ejus translationem. Ita cum Sanch. *l. c. C. 32. n. 34. & 36.* Castrop. *n. 11.* Horum contrarium est in donationibus & promissionibus sub conditione causali factis, dum in his spectatur capacitas donatarii & promissarii, non pro tempore impletæ conditionis, sed pro tempore, quo fit donatio & promissio. Unde si quid alicui existenti in religione donati vel promissi incapaci donatum vel promissum sub conditione casuali (hoc est, ab ejus voluntate independente) & is dein tempore impletæ conditionis sit Episcopus vel transferit ad religionem capacem, donatum & promissum acquirere nequit, quia donatio & promissio ei facta ob ejus illo tempore incapacitatem fuit nulla. Ita cum Covar. *de testam. C. 1. n. 20.* Azor. *p. 1. inst. mor. L. 12. C. 15.* & alii Castrop. *L. c. n. 13.* Verùm hæc de transeuntibus ad religionem aliam in ea profitendi gratiâ. Nam si ad eam transferatur solum, ut in ea propter delicta agat poenitentiam, bonorum ratione illius priori religioni vel monasterio acquiritorum proprietate penes illam remanente usufructus pertinet ad monasterium posterius (nisi religiosus ille ita deseruiat monasterio, in quo poenitentiam agit, ut servitia præstita alimentis æquivalent) & quidem non integer, sed quantum ex eo correspondet alimentis necessariis ei impensis, qui usufructus dein eo mortuo, aut redeunte ad prius monasterium de nudo consolidatur cum proprietate. Ita Pirh. *h. r. num. 184.* cum Azor. *loc. cit. quest. 2.* Molin.

de 7. & 7. *er. 2. d. 140. num. 28.* Sanch. *cit. cap. 32. num. 46. & 47.* Sylv. & alii. Arg. *cep. de lapsis caus. 16. quest. 6. & cap. 30. caus. 27. quest. 1. juncta Gl. V. cautioni.* Sed & bona tempore detentionis illius acquisita illi religioso pertinent ad prius monasterium, detractis solum alimentis, si quid pro illis debeatur monasterio, ad quod translatus, quia manet professus prioris monasterii; sola autem professio dat jus ad bona professi *juxta auth. ingressi cap. de ff. Eccles. Sanch. l. c. n. 40.* Pirh. *l. c.*

*Quest. 351. Quæ nam jure canonico interdicitur etiam legitime transeuntibus ad aliam religionem.*

1. **R**esp. primò: Transeuntibus ad aliam religionem etiam arctiorem, etsi sint Canonici regulares, redduntur incapaces cujuscunque beneficii secularis curati ex duplici capte; primò quia regulares, quod etiam commune est aliis remanentibus in sua prima religione, dein quia in aliam religionem translati juxta Trid. *sess. 14. cap. 11. de reformat.*

2. Secundo: *Clement. 1. h. r. sequentibus* ferè verbis statuitur, ut professi ordinum medicantium qui etiam ex facultate apostolica ad ordines non mendicantes, etiam hæcenus (id est, antequam hæc constitutio promulgata, vel etiam dum promulgabatur) transiverunt, aut in posterum transibunt, prioratus, administrationes, vel officia, aut curam animarum vel regimen quodcumque obtineant inibi (hoc est in monasterio, ad quod transferunt) vocem aut locum in capitulo non habeant, etiam si id ipsum ab aliis (intellige Capitularibus) liberè concedatur. Ad prioratus, administrationes aut quæcumque officia translati hujusmodi in posterum non admittantur, etiam tanquam Vicarii seu ministri, vel locum aliorum tenentes, & nec animarum curam & regimen possent pro se vel pro aliis exercere. Et quidquid in contrarium attentatum fuerit, ipso jure irritum decernitur, non obstantibus quibusvis privilegiis, cujus prohibitionis ratio & finis exprimitur *in princ. cit. Clem.* hæc ferè verbis; ut professores ordinum mendicantium libentius, in qua vocati sunt, vocatione persistant, transeuntibusque ad non mendicantium ordinem in eo quietius conversari studeant, quò in ipsis discordiarum & schismatum, productiva ambitio promoveretur.

3. Circa hæc notanda sequentia: primò, nomine mendicantium, adversus quos emanavit dicta constitutio, comprehendi solum eos, qui regula seu instituti sui à sede apostolica approbati verè mendicantes sunt, hoc est, quibus reditus & bona immobilia in communi habere interdicitur, quamvis contra prohibitionem illicitè, aut ex dispensatione apostolica licitè ea possideant, qualiter hodie in Trid. *sess. 25. cap. 3. de regul.* dispensatum fuit quò ad hoc cum omnibus mendicantibus exceptis Minoribus de observantia Capucinis & domibus professis, societatis, unde non solum hic veniunt hoc nomine quatuor Ordines mendicantes expressi *in cap. unico §. sane de relig. domib. in 6.* Sed & alii, qui postmodum à sede apostolica pro mendicantibus declarati, inter quos sunt etiam Jesuitæ, non solum professi eorumque domus, sed &

Scholastici dominium bonorum suorum habentes, & collegia bona stabilia & redditus possidentia, prout declaravit Pius V. in Bulla *cum indefessa* edita anno 1571. & confirmavit Gregorius in Bulla: *quanto fructuosius*, edita anno 1581. & in Bulla: *ascendente domino*, edita anno 1584. Hi itaque omnes comprehenduntur dicta constitutione penisque in ea statutis, si transeant ad Ordinem non mendicantium, atque ita comprehenduntur quoque assumptus ex Ordine mendicantium ad Episcopatum, dum postmodum eo deposito, de licentia papae transit ad Ordinem non mendicantium, eo quod talis ob assumptum Episcopatum non amisit statum suum pristinum mendicitatis religiosae, tamen eius exercitium per Episcopatum suspensum fuerit, adeoque ex statu seu Ordine mendicantium transit ad Ordinem non mendicantium ita probabilis. Sanch. *Lib. 6. mor. cap. 7. num. 119.* Castrop. *tr. 16. d. 4. p. 17. n. 4.* secus est, si mendicantes transeant ad alium Ordinem, qui etiam est mendicans. Uti nec comprehenduntur non mendicantes transeuntes ad Ordinem mendicantium; cum *cit. Clem.* lata solum contra mendicantes translatos ad non mendicantes. Ut cum Gl. *in cit. Clem. V. mendicantes.* Sanch. *loc. cit. num. 118.* Castrop. *loc. cit. num. 3.* Pirh. *b. t. num. 179.* sed neque comprehenduntur hac constitutione mendicantes transeuntes ad Carthusiam; eo quod *cit.* constitutio de transeuntibus vi alicujus privilegii etiam apostolici ad Ordinem minorem seu laxiorem & non de mendicantibus, quibus jure communi permittitur est transire ad religionem strictiorem, etsi mendicans non sit, qualis est Carthusia, loquatur. Pirh. *loc. cit.* cum Sanch. *loc. cit. num. 110.* juxta *Evtravag. 1. b. t.* Neque Novitii Ordinum mendicantium, aut etiam in iis invalidè professi, utpote qui ad priorem religionem non adstricti liberè ac licitè ad aliam transire possunt, *cit. Clem.* loquente solum de iis, qui in priore vocatione seu religione mendicante tenentur persistere. Sanch. *loc. cit. num. 112.* Pirh. *loc. cit.* cum Gl. *ibid. V. ut professores.* Neque ii, quibus ex regula seu constitutionibus suis à sede apostolica approbatis non est interdictum possidere bona & redditus in communi, licet actu mendicent. Sanch. *n. 113.* Pirh. *loc. cit.* juxta *cap. unic. §. confirmator de relig. domib. in 6.* ac denique non comprehenduntur moniales Ordinum mendicantium; cum ex regula sua citra privilegium habere possint redditus & bona in communi, Sanch. *num. 116.* Pirh. *loc. cit.* contra Gl. *in cit. Clem. 1. V. quoslibet*

3. Notandum secundo: per privationem vocis (quae est prima poena lata contra medicantes transeuntes) subintelligi, tam activae, quam passivae; cum textus loquatur generaliter. Navar. *comment. 4. de regular. num. 34.* Sanch. *l. cit. num. 120.* Castrop. *l. cit. num. 5.* Pirh. *b. t. num. 180.* Per privationem verò loci in capitulo (quae est secunda poena) intelligi locum in capitulo honorifico, quale haberetur pro electionibus & tractatibus, & non de capitulo ad correctionem & disciplinam congregato; quia æquum non erat, ab hoc capitulo, quod in bonum tum religionis, tum religiosorum ordinatur, excludere religiosum. Sanch. *num. 123.* Castrop. Pirh. *LL. cit.* Neque hoc ipsum, utpote poena extendendum ad locum in choro aliisque congregationibus præter Capitulum. Sanch. *num. 124.* Castrop. Pirh. *LL. cit.* cum Gl. *cit. V. locum.* Afficitque hæc

poena privationis, non tantum eos, qui tempore latae *Clem.* à mendicantibus ad non mendicantes transferant, sed & eos, qui impofterum tranfuri erant, prout patet ex verbis ipsis *cit. Clem.* Sanch. *n. 125.*

4. Notandum tertio: voeulam *inibi* referri ad Ordines non mendicantes, ad quos tranfuit, ita ut translati ad eos, in iis vocem & locum in capitulo non habeant; per quod tamen non impediuntur, quò minus extra religionem v. g. in Ecclesiae secularis collegiatae vel Cathedralis capitulo, si fortè in iis administrationem habeant, vocem & locum habere possint, ut Gl. *V. inibi.* Imol. *ibidem num. 12.* Castrop. *num. 6.* Pirh. *loc. cit.* id colligentes ex eo, quòd post adverbium *inibi*, in codicibus correctioribus ponatur virgula; cujus contrarium colligendum, si virgula poneretur ante *tò inibi*; ait Castrop.

5. Notandum quarto, qualiter istiusmodi translati ad Ordinem mendicantium, obtinentes inibi prioratum, administrationem vel regimen, voce & loco in capitulo privari possint, cum sæpe negotia de consensu talium sint expedienda. Nimirum ut cum Gl. aliqui, quòd iis non sit interdictum, habere vocem & locum in capitulo conventus, sed solum in capitulo generali vel provinciali, vel forte conformius ad eam dicta intelligendum, non de praelatis totius conventus, sed de aliis inferioribus & subordinatis, quorum consensus ad gravia monasterii negotia, non ita necessarius est, ut Castrop. *num. 7.* citans pro hoc Sanch. *num. 122.* & apud illum Imol. Carden. anchor.

6. Notandum quinto, quòd dum *cit. Clement.* istiusmodi transeuntes redduntur inhabiles ad prioratus, administrationes & officia, curam animarum &c. exercendam etiam ab iis tanquam vicariis & loco aliorum, prohibeantur ea exercere, non tantum intra religionem, sed etiam extra eam, ubi talia officia per religiosos non mendicantes extra religionem solita exerceri. Sanch. *num. 126.* Pirh. *loc. cit. notab. 4.* tum quia textus *Clem.* toquitur indistinctè; tum quia occasio esset discordiarum & schismatum, dum ad quorum evitacionem, ut dictum, dicta *Clem.* emanavit, dum viderent religiosi istius ordinis non mendicantis transeuntes ad se ab alio ordine sibi præferri & ad istiusmodi officia assumi. Pirh. *loc. cit.* cum Gl. magn. *in cit. Clem. V. item propter.* Porro nomine officiorum solitorum communiter exerceri à non mendicantibus, veniunt munus sacristae, œconomi, Cellarii, munus prædicandi publicè, lectoris Theologiae vel Juris canonici, aliarumque facultatum Professoris, cum hæc omnia censeantur in religione officia. Sanch. *num. 128.* Pirh. *loc. cit.* qui tamen cum Sanch. *num. 131.* addit, posse illos nihilominus promoveri ad gradus Magisterii, Licentiae, Doctoratus; eo quòd hi gradus non sint officium aliquod aut administratio. Pro completionem hujus materiae de transitu ad aliam religionem sit

*Quaest. 852. An & qualiter intra eandem religionem diversis gradibus constantem ab uno gradu ad alium transitus fieri possit.*

**R**Esp. tam ex gradu inferiore ad superiorem, quam ex superiore ad inferiorem. v.g. ex gradu inferiori

inferiori eorum, qui choro deputati ad gradum laicorum, ex gradu Scholasticorum in societate ad gradum coadjutorum temporalium & contra fieri potest hic transitus; quia id nullibi prohibeatum, & passim practicatur. Non enim per talem transitum mutatur religio; sed intra eandem observationem votorum exercitia & officia mutantur, & ad diversa ministeria fit applicatio. Ita Sotus de Just. L. 10. quest. 5. a. - circa finem. Azor. p. 1. L. 10. cap. 6. quest. 7. Sanch. L. 6. sum. cap. 7. num. 8. Castrop. tr. 16. d. 4. p. 16. §. 5. num. 11. Porro gravior causa adesse debet transiendi à superiore ad inferiorem, quamquam contra. Sufficit autem Vg. si ad literas addiscendas superioraque ministeria exercenda minus aptus, ad inferiora verò habilis existat, cum hæc mutatio religioni sit utilior; aut etiam si singulari affectu humilitatis ad illa inferiora feratur. Nunquam tamen talis translatio facienda transferendo

invito, nisi fortè ob delictum grave. Sanch. loc. cit. num. 81. tametsi Suar. tom. 4. de relig. tr. 10. Lib. 4. cap. 17. num. 9. a quod Castrop. loc. cit. videatur sentire contrarium in societate. Eam translationem necessariò faciendam à solo generali vel provinciali, cum consensu capituli; quia res gravis est, ut vult Sanch. loc. cit. sed fieri posse ab immediato superiore, præsertim, cum translatio ab eo facta, si ita videatur, revocari possit à generali vel provinciali; censeat Castrop. loc. cit. num. 12. Et hæc præsciendò à contraria consuetudine & ordinatione alicujus religionis. Nam in societate Jesu hæc translatio reservata soli generali, ut Sanch. loc. cit. solumque permittitur provinciali intra biennium eos, qui indifferenter recepti, applicare gradui scholasticorum vel laicorum. Quæ tamen non est translatio ab uno gradu ad alium, sed unius determinatio, ut bene Castrop. loc. cit.

## CAPUT V.

## De professis ejectis, fugitivis, apostatis.

Quest. 853. Ejecti à religione, fugitivi, apostatae quinam dicantur.

1. **R**esp. ad primum: Ejecti à religione dicuntur, qui non spontaneè, sed ob culpam suam expulsi sunt. Sylv. V. apostasia. n. 9. in fine. Tambur. de jure Abbat. Tom. 3. d. 8. qu. 1. n. 8. Pirh. h. t. n. 186. in fine.

2. Resp. ad secundum: fugitivi ii proprie vocantur, qui sine licentia superiorum ab ordine vel monasterio, ut extra eorum potestatem & obedientiam liberè vagentur, ad tempus recedunt, cum animo tamen redeundi. Sylv. l. c. quest. 4. Sanch. L. 6. mor. c. 8. n. 2. Azor. p. 1. L. 12 c. 16. q. 1. Rodriq. reg. 99. tom. 1. q. 30. a. 1. Pirh. l. c. Reiffenst. h. t. n. 247. His etiam, non quidem de jure communi, quo permissum fugere ad superiorem majorem juxta L. qui sit fugitivus, ff. de adulter. edit. & novel. 17. §. si tibi quoque, quo recurrens ad principem non punitur. Sed jure novo Tridentini accensentur primò fugitivi, qui à suis conventibus sine licentia superioris recedunt prætextu adeundi suos superiores aliores (etiam sedem apostolicam ut constat ex constituto Sixti V. cum de omnibus. & eidem constitutioni annexa. ad Romanum spectat) dum sess. 25. c. 4. de regul. elicit. nec liceat regularibus a suis conventibus recedere, etiam prætextu superiores suos accedendi, nisi ab iisdem missi aut vocati fuerint; qui vero sine prædicto mandato in scriptis obtento repertus fuerit ab ordinario locorum tanquam desor sui instituti punitur. Quod ipsum tamen decretum quodam licentiam illam obtentam in scriptis ita juxta citat. Bullam Sixti V. cum omnibus & constituto. Eiusdem ad Romanum spectat, limitandum monet Reiffenst. n. 250. ut locum non habeat, si recedens talis ad superiores sit vir satis cognitus, ita ut proinde indiscretè agant ii superiores locales, qui à viro omnibus noto & omni exceptione majore similem licentiam exigant, multoque magis, si eum ut fugitivum tractare velint. Limitan-

dum quoque juxta Navar. in comment. 3. de regul. num. 51. ad 4. Azor. loc. cit. cap. 11. quest. 7. Sanch. cit. c. 8. n. 17. & 18. quos citant & sequuntur Pirh. n. 187. Wielt. n. 145. ita, ut locum non habeat in iis, qui à superiore iniquè tractantur & vexantur; hi enim, si aliud remedium non habeant, licite fugere possint à monasterio, inscio vel etiam invito superiore immediato majorem alium adeundi gratià, ut per illum ab iniqua oppressione liberentur; cum cuivis naturali & omni jure concessum se adversus vim & vexam injustam tueri, juxta loc. cit. vim. ff. de 7. & 7. & cap. 3. de sent. excomm. adeoque & talibus religiosi; unde desertores seu instituti non sint, nec pœnas apostatarum incurrant, modò certò & evidenter constet, & probari possit, illos injustè vexari à suo superiore, nec superesse aliud remedium, quàm superiorem prælatum adire. Verùm huic limitationi videtur non esse locus, habendosque adhuc tales pro fugitivis, nisi in scriptis licentiam discedendi habeant, vel probare possint, se eam petivisse, & tamen non obtinuisse. Dum Sixtus in constituto. sua ad Romanum spectat §. 20. inquit: Quòd si dicerent, se ad apostolicam sedem confugere ob gravamina sibi à suis superioribus illata, & ideo ab ipsis superioribus licentiam & literas obtinere non potuisse, non propterea ullo modo recipi valeant, nisi fide dignorum testimonio de petita ab eis licentia, & per superiores negata constiterit. Prout hæc verba contra Pirh. citatosque ac eo AA. obmovent. Donat. pr. regul. tom. 1. cr. 7. quest. 1. Reiffenst. h. t. num. 249. Adherentes dictam constituto, Sixti V. nec à Tridentino, nec ab alio Pontifice revocatum esse.

3. Dicitur autem in definitione fugitivorum: qui animo redeundi recedunt: accensentur, si quidem adhuc fugitivi, & nequaquam apostatis veris, proprie & strictè talibus, qui licet dimisso habitu animo vagandi & vivendi permanenter extra religionem longo tempore v.g. tribus vel

vel quatuor annis, vel indeterminatè, donec aliquod diuturnum negotium perfecerint, retineant tamen semper re ipsa animum redeundi & non excutiendi omnino jugum religionis, quamvis præsumantur ex tam diuturna in fuga perseverantia (quæ quanta ad talem præsumptionem requiratur prudentum iudicio æstimandum relinquatur ut Suar. tom. 4. de relig. cap. 1. num. 25. Tambur. de jur. Abb. tom. 3. d. 8. quest. 1. num. 13.) animum hunc non habuisse aut deposuisse, reputentur quoque in foro externo apostata & ut tales puniantur, & si tales in foro conscientie non sint, nec pœnis iure statutis in eo teneantur. Ita tenent Wiestn. h. t. num. 145. cum Castrop. tr. 16. d. 4. p. 16. num. 4. Ubi etiam rationem & differentiam assignat, cur potius is, qui constitutus in sacris habitum clericalem dimittit, assumpto gestatoque habitu laicali sufficiente tempore, ut communiter reputetur Laicus, sit verus apostata ab Ordine Clericali, quàm is, qui dimisso habitu extra monasterium vagans sit verus apostata ab Ordine religioso. Respondet quoque ad illud; veram apostasiam à fide & gratia incurri, etsi retineatur animus redeundi ad priorem statum; quod fides & gratia, cum non respiciant tempus integrè & completè, unteo instante deperdantur; religiosus verò status, cum respiciat tempus totius vitæ (nam pro omni eo promissa est obedientia) non potest censeri quis integrè & completè recedere, qui animum habet limitato tantum tempore illum relinquendi. Unde cum Suar. dum huiusmodi fugitivos apostatis accenset, nomen fugitivi & apostatae latius accipere necesse habet, prout nimirum nomine fugitivorum comprehenduntur recedentes ab ordine, sive cum sive sine animo redeundi, ut videre est apud Pirh. n. 186.

4. Resp. ad tertium apostata ab ordine religioso proprie & stricte talis est, qui ab ordine recedit animo penitus excutiendi jugum religionis, & nunquam ad eam redeundi. Cajet. 2. 2. quest. 12. art. 1. dic. 2. Less. L. 2. c. 41. n. 109. Azor. p. 1. L. 12. c. 16. qu. 1. Sanch. L. 6. mor. c. 8. n. 2. Castrop. l. c. n. 2. Roder. 99. reg. tom. 1. q. 30. n. 1. Pirh. h. c. cum communi. Ita ut tota ratio formalis apostasie consistat in dicto recessu sine animo redeundi unquam. Nec refert, an cum, an sine habitu religioso discedat & vagetur extra religionem. Donat. l. c. tr. 6. qu. 2. Pignat. tom. 7. consult. 68. num. 5. Sanch. loc. cit. num. 3. Castrop. rodrig. LL. cit. cum habitus non faciat monachum, sed professio regularis. c. porrectum h. t.

#### Quest. 854. Professus an ejici possit è religione

1. Resp. posse valide professos ex justa legitimaque causa ejici è religione tanquam certissimum est, & communi praxi omnium religionum firmatum tenent D. Th. quodlib. 12. a. ult. Nav. comment. 2. de regul. n. 33. Azor. p. 1. L. 12. c. 16. qu. 2. Molin. de just. tom. 1. tr. 2. d. 140. circa finem. Less. Lib. 2. c. 41. num. 106. Sanch. L. 6. sum. c. 9. n. 1. Suar. tom. 4. de relig. tr. 8. L. 3. c. 4. n. 2. Laym. L. 4. sum. tr. 5. c. 13. n. 1. Castrop. tr. 16. d. 4. p. 19. n. 2. Barbof. in c. 24. h. t. n. 5. Pirh. h. t. n. 194. contra Abb. in c. cum ad monasterium de stat. monach. n. 13. Cardin. in Clem. 1. eodem §. quia vero n. 5.

Grassius p. 1. decis. Lib. 3. c. 5. num. 145. alique apud Sanch. l. c. quorum sententiam asserit Castrop. l. c. n. 1. pro eo casu, quo expellendus expulsionem resistens, affirmaret, se paratum corrigi debitamque poenam sustinere, approbari à Sylv. V. religio. 6. §. 17. Armill. cod. §. ult. aliisque gravibus DD. eo nixos fundamento, quod c. fin. h. t. præcipiatur praelatis ejectos & fugitivos querere & reducere, unde rectè deduci videtur, eos non debere ejici. Alias rationes pro hac sententia vide apud Castrop. l. c. ab eo dilatas. Verùm Contrarium clare, etiam adjecta ratione, apparet ex jure antiquo & novo. Ut dum can. 16. caus. 24. q. 3. dicitur: *Resecanda sunt putridæ carnes, & scabiosa ovis à canis repellenda, ne tota domus massa, corpus & pecora ardeant, corrumpantur, putrescant, & pereant* &c. & can. 34. ead. caus. §. 9. ubi: *ut his, quibus prodesse non potuit correctio, non parcat abscissio, oportet enim meminisse mandati, quo ab ipsa veritate præcipitur, ut si nos oculus aut pes, aut dextera scandalizaverit manus, à corpore auferatur* &c. Idemque patet ex omnium religiosorum ordinum constitutionibus ab ipsis earum SS. Fundatoribus inductis. à S. Basil. in reg. 28. ex fusius Dissut. à S. Benedicto in reg. sua q. 28. S. August. in sua. c. 20. S. Hieron. relatus in cit. can. resecanda q. 3. Dominic. d. 1. c. 19. suarum consil. S. Francisc. in sua reg. cap. 13. S. Ignat. 2. p. consil. c. 1. §. 1. Ac denique ex ratione, dum nimirum bonum communi religio, cui expedit illa expulsio, præferendum bono singulari. His non obstante c. fin. h. t. utpote cujus diversæ ab intento ad adversarii sensu dantur interpretationes, de quibus paulò post separata erit quest. Neque can. impudicas & can. si quis sacro 27. qu. 1. ubi vetantur ejici moniales professæ. Ad hoc siquidem mox quoque responditur speciali quest. desuper instituta.

2. Dixi: *valide professi*: potest enim & nulliter professus ejici, non alio tamen modo & tempore, quàm quo ipse nulliter professus contra religionem reclamare potest, nempe intra quinquennium; & cum interventu Ordinarii; cum religio & religiosus sint correlativa. Quod autem de uno correlativum dispositum, trahitur etiam ad alterum. Ita Reiffensl. h. t. num. 238. cum Bordon. de profess. regul. c. fin. & var. resol. 23. num. 6. & Donat. pr. regul. tom. 2. tr. 12. quest. 35. qui etiam id confirmat Decreto Urbani VIII. desuper edito. Uti etiam Pignat. tom. 1. consult. 89. num. 17. inter plures alias declarationes Cardinalium pro hoc recitat editam 16. Decemb. 1617. in hæc verba: *Eminentissimi Patres S. Concilii Trid. interpretes ex communi omnium sententia censuerunt Decretum Eiusdem S. concilii c. 19. sess. 25. de regul. vendicare sibi locum, non modo, cum professus nullitatem suæ professionis allegat, causasque deducat, verùm etiam, cum superiores ipsi ex se illum ejicerent tanquam nulliter professum.*

#### Quest. 855. Quæ sit causa legitima ejiciendi professos.

Resp. causæ hæc sunt sequentes. Primò, si committat crimen grave, infamè vel graviter scandalosum & nocivum propter quod sine gravi ordinis detrimento & infamia in eo tolerari nequit Pirh. h. t. num. 105. Barbof. inter cetera crimina enumerans ex Mirand. tom. 1. q. 52. a. 1. vari.

varias apostasias, homicidium, sodomitiam &c. omnique delictum, ut ait Castrop. *cit.* p. 19. n. 8. quod à seculari commissum pœnam mortis mereretur, vel etiam perpetui carceris, tritemium, ut cum Donat. *tom.* 1. *tr.* 8. q. 6. portell. *in dubiis regular. V. ejicere ab ordine in addit. n.* 1. reiffenst. *h. t. n.* 228. requiritur autem ut tale crimen publicum sit, non quidem necessariò publicè commissum, sed publicum jure, hoc est, in judicium deductum, ibique sufficienter probatum vel confessum, vel notoritate facti. Mirand. *l. c. a. 2.* Rodriq. *tom.* 1. *q.* 30. *a.* 14. & sequenti. Sanch. *L. 6. mor. c. 9. n. 4.* Castrop. *l. c. p.* 19. *n. 5.* Wiestn. *h. t. n.* 153. idque non tantum inter Fratres seu conventuales, sed etiam publicum inter seculares, ut expressè addit reiffenst. *h. t. n.* 229. sine qua publicitate pœna illa ejectionis gravissima eaque publica delicto non decernitur, rationem aliam addit D. Bonnav. *in quasi. super reg. Frat. minor.* 4. 14. dum ait: *ut vitetur scandalum, & ne, si ejiciatur ob delicta occulta videatur injustè ejectus, aut ejus peccatum prospicatur injustè, quod utrumque illicitum est, unde ait Reiffenst. l. c. prætare, ut committens delictum perpetuò potius incarcerationetur, quam ejiciatur, dum tamen dicitur delictum scandalosum & nocivum aliis, etiam religiosis sociis, esse causa sufficiens ejectionis, expectandum non est, ut de facto noceat, sed sufficit, si probabiliter & rationabiliter timeatur nociturum, nisi delinquens resereretur, ut cum Suar. *tom.* 4. *de reliq. tr.* 8. *l.* 3. *c.* 8. *num.* 9. Castrop. *l. c. n.* 5. juxta *cit. c. reserande* & *c. ecce.* 24. *q.* 3. & *c. sed illud.* 45. *dist.* An verò esse debeat delictum reincidentiae seu repetitum post praelati monitionem; vel an sufficiat semel tantum commissum, citra monitionem aut aliam incorrigibilitatem, in eo non ita conveniunt A. A. posterius defendunt Castrop. *ait p.* 19. *num.* 7. citatis pro hoc azor. *dist. mor. l.* 12. *c.* 16. *q.* 3. Sanch. *L. 6. sum. c.* 9. *n.* 5. Suaz. *l. c. 4. num.* 11. ex ea ratione, quod possit esse delictum ita grave & scandalosum, ut non possit commode alià pœnà puniri, neque alià vià scandalo fieri satis, aut honori religionis consuli, quam expulsiōne ab ordine, sintque aliqua delicta, quæ, si religiosus semel ausus est committere, praelumi merito potest eadem & graviora commissurus, quo casu, etsi talis de facto incorrigibilis non sit, quia non fuit correctus, aut etiam monitus, sit tamen incorrigibilis ex juris praelumptionsione, ut inquit Castrop. quia praelumptionsione nititur religionis regula, si quæ ob aliquod delictum semel commissum permittit aut statuit delinquentem expelli. Ad hæc sint plurima indulta & privilegia, quibus id ipsum pluribus religionibus concessum, v.g. à Leon. X. Minoribus à Pio V. religioni S. Hieron. à Gregor. XIII. Societati in Bulla incipiente, *cum aliis prapósito Generali.* pro ut refert Suar. *l. c. c. 4. num.* 11. Unde rectè inferitur, quòd etsi spectato jure communi necessario requiritur incorrigibilitas ad expulsionem, eidemque praelimitendam monitionem, & tamen non temper necessarium esse. His tamen non obstantibus regulariter ad expellendum professum necessarium esse, ut sit verè incorrigibilis juxta decretum S. Congreg. Card. Interp. Conc. Trid. jussu Urbani VIII. emanatum 21. Sept. 1624. quòd reperitur *tom.* 3. *Bullar. const.* 28. *hujus pontificis,* admittit Castrop. *l. c. num.* 6. citatque ab eo AA. quin & absolurè hodieum necessariam esse veram incorrigibilitatem, tenent cum D. Bonavent. *l. c.* Cardin. *in c. cum R. P. Leur. Jur. Can. Lib. III.**

olim de privileg. *num.* 4. Sylv. *v. religio* 6. *q.* uti armill. *v. cod. n. ut.* Cuch. *l. 3. instit. mor. lit.* 1. *n.* 130. & 139. Reiffenst. *h. t. n.* 227. consistente hac vera incorrigibilitate juxta communioem in eo; quòd post trinam monitionem ac punitionem denno relapsus graviter & scandalosè. Ita cum abb. Majolo, Sayr. Grassis à se relatis. Sanch. *l. 6. mor. c. 9. n. 4.* Castrop. *l. c.* Wiestn. *num.* 145. Pelliz. *tom.* 2. *tr.* 8. *c.* 5. *n.* 2. Reiffenst. *num.* 230. *arg. c. 2. contigit.* & 2. *de sent. excom.* & *c. cum non ab homine, de Judicis.* quia talis monitio est canonica, & toties relapsi emendatio desperata. Non tamen ad hanc incorrigibilitatem requiritur ut in idem delictum relabatur, sed sufficit committi alia æque gravia vel graviora *c. ut fama, de sent. excomm. Abb. in cit. c. cum non ab homine.* Sanch. Castrop. Reiffenst. *LL. cit.* neque ad eam constituendam sufficere, quòd ex loco pœnitentiæ vel carceribus fugiat, nisi fortè post trinam monitionem quartà vice fugeret, asserit Reiffenst. *n.* 231. ob decretum S. Congr. Conc. Trid. editum 13. Novemb. 1632. ad instantiam Generalis sui ordinis. Contrarium sentientibus cum Abb. *l. c.* Portell. *l. c. num.* 4. & Sanch. *l. c.* Et hæc de jure communi, jure tamen novo rei nimirum decreti S. Congr. Interp. jussu Urbani VIII. editi præter ea, quæ jure communi circa hanc incorrigibilitatem statuuntur, requiritur ad eandem; *ut delinquens unius anni spatio in jejuniis & pœnitentiis probetur in carceribus & elapso anno nihilominus non respuerit sed indurato animo in sua pervicacia perseveraverit.* Secunda causa est, si reticuit impedimentum vel defectum valde gravem, propter quem graviter adcepta fuit religio, ita ut dolus causam dederit admissioni; tunc enim religio eum retinere non tenetur. *Less. l. 2. c. 41. n. 206.* azor. *l. c. q. 3.* Sanch. *l. c. num.* 4. & 5. quos citat & sequitur Pirh. *num.* 195. in fine. pro qua citat Castrop. *l. c. n. 9.* Navar. *l. 3. const. tit. de regul.* 81. 25. Sa. *v. religio, n.* 34. Vega. 2. *tom. sum. c. 5. cas. 4.* Sanch. *l. 7. de mat. d.* 37. *n.* 53. & c. assignata etiam pro ea ratione, nimirum; quia per errorem injustè à proficiente causatum eundem admisit, & in suam recepit potestatem, adeoque eundem denno in pœnam illius delicti à se expellere. Verùm docet ipse cum Rodriq. *qq. reg. eo. 3. q. 17. a. 9.* & Sanch. quem dicit sententiam suam retractasse *l. 5. sum. c. 4. num.* 56. eò quòd hæc culpa alia via puniri possit, & si quòd fortè ortum scandalum, eidem satisfacere, præsertim cum non sit ex iis, ob quam religio notam & infamiam incurrat, dum potius amore & affectu religionis commissa esse videri possit, cujus tamen contrarium esse in Societate, ubi ob taciturnitatem istiusmodi impedimenti posse dimitti professum fatetur Castrop. *l. c.*

*Quæst. 856. quid sit circa ejectionem monialium incorrigibilium.*

**R**Esp. tametsi in rigore loquendo moniales quoque propter incorrigibilitatem eò quòd illius emendatio & correctio in nullo monasterio speretur, ejici quoque possint ut Sanch. *l. c. n. 6.* Castrop. *l. c. n. 3.* Darbos. *l. c. n. 16.* Pirh. *h. t. n.* 195. non obstante *cit. can. impudicas.* & *c. si quis sacro.* cum ibi non negetur illas quandoque excludi posse, id tamen consultum non esse, nec usitatum, sed potius perpetuo carcere detinendas esse, quàm ejiciendas cum gravi scandalo, vel ad aliud monasterium transferendas, passim monent AA. juxta const. Urbani VIII. quam referunt Rodriq. *qq. regul.*

K k k k

regul.

regul. dom. l. 9. 10. a. 9. Mirand. de monialibus q. 3. a. 2. apud Barbos. l. c. dicentem revocatam non esse per Pium V. vel Conc. Trident. et si stri-  
ctiore, idque ne aliis monialibus præbeatur an-  
sa se præbendi aut fingendi quoque incorrigibiles,  
ut ejectæ monasterio vagandi, dum mulieres ex  
sua conditione libertatem optent, plurimæque, quæ  
à principio statum religiosum perlubenter am-  
plexæ, postmodum dolente se quasi coactæ sub  
clausura existentes, media procurent, statum illum  
& clausuram deserendi. Castrop. pirh. LL. cit.

*Quæst. 857. quid sit circa dimissionem  
& expulsionem Scholasticorum seu  
simplicibus tantum votis obstrictorum  
in Societate.*

**R**esp. primò: tam hi quam professi ejusdem  
Societatis non secus ac aliarum religionum  
dimitti & ejici possunt, diversimodè tamen, ita  
ut Scholastici dimittantur liberi à suis votis sim-  
plicibus, professi verò ejiciantur ligati suis votis  
solennibus pro ut habetur p. 2. const. c. 1. & 2. &  
in Bulla Gregor. XIII. incipiente: *ascendente do-  
mino*. orta hac diversitate ex diverso modo reci-  
piendi illos, dum emittentes vota simplicia societa-  
tati traduntur & ab ea recipiuntur sub ea solùm  
conditione, ut ab ea retineantur, quam diu ipsa  
retinendos judicaverit. unde cessat eorum ad vota  
obligatio cessante conditione, sub qua emissæ &  
acceptatæ, nimirum quam diu in Societate retine-  
bor, emittentes verò solennia vota professionis  
emittant ea absolute, societatisque obligat ad illos,  
saltem quò ad vinculum & votorum firmitatem,  
retinendos, ac proinde eos liberos à votis dimittere  
nequit ita Castrop. l. c. p. 20. n. 1.

2. Resp. Secundò: requiri legitimam causam  
ad dimissionem tam professorum quam Scholasti-  
corum. & quod attinet ad professos requiri causam  
gravem, quamvis, ut inquit Castrop. num. 2. minor  
quam in aliis religionis sufficiat causa ad eorum  
dimissionem, dum p. 2. constet c. 2. ubi de causis  
illis agitur, enumerantur, quæ in aliis religionibus  
insufficientes judicantur, nec mentio fit incorrigi-  
bilitatis in Bulla Gregor. XIII. quæ incipit, *Cum  
alias* ubi statuitur, posse Generalem Societatis ex  
causis exigentibus, quales sunt omnes illæ, cum  
quibus eos sine gravi sui jactura retinere non potest.  
cumque societati specialiter incumbat proximorum  
saluti inservire, & vel inde inter perditionis pericula  
præ aliis religionibus continuè versetur, facilius  
quolibet gravis culpa, utpote huic fini obstans,  
haberi potest pro sufficiente causa dimittendi pro-  
fessos. ita Castrop. enumerans etiam in specie cau-  
sas aliquas, ob quas juxta p. 9. const. c. 4. §. 7.  
ipse præpositus Generalis non tantum ob officio,  
sed & à Societate removeri posset; nimirum copu-  
lam carnalem, vulnerationem cujuscumque, alicujus  
de rebus collegiorum ad proprios usus assump-  
tionem, aliorumque bonorum stabilitati alienationem:  
Quod attinet ad non professos societatis,  
nimirum scholasticos & coadjutores formatos re-  
quiri ad eorum dimissionem causam aliquam legiti-  
mam, quæ se non offerente, obligata sit eos reti-  
nere tanquam verius cum suar. l. c. tr. 10. l. 2.  
c. 9. n. 10. & seq. tenet Castrop. l. c. n. 4. ortâ  
hac obligatione eos non dimittendi sine causa tum  
ex ipsis constitutionibus societatis, ut patet ex eo,  
quòd S. Fundator ejus in *Exam. gener. cap. 6. in  
ejus declarat. dicat: non est injustum, si societas li-*

bertatem ad eos dimittendos, quando non faciunt,  
quod deberent, retinet. Item paulò post c. 7. §. 1.  
inquiens: Nec id (scilicet è societate expellere)  
sine causis justissimis fieri. uti id ipsum satis expre-  
ssit Gregor. XIII. in Bulla, *quam fructuosur*. ubi  
postquam dixerat, non posse scholares sine vitio  
apostasiæ deserere societatem addit: quamvis ex  
rationabili causa juxta easdem constitutiones ab  
ipso Generali præposito dimitti, & hujusmodi votis  
liberari possint. unde rectè à contratio inferitur,  
pontificem censere, eos sine rationabili causa non  
posse dimitti. tum etiam ortâ hac obligatione societa-  
tatis eos sine justa causa non dimittendi ex ipsa  
emissione votorum, dum per eam religiosus se tra-  
dit religioni, ut ab ea retineatur pro ut ipsa obligata  
est eum retinere; ea autem obligata est  
suis constitutionibus eum retinere, dum non  
offeritur legitima causa dimissionis; unde post ac-  
ceptatam tali modo hanc traditionem non potest  
eum sine causa justa illum dimittere, & si id fecerit,  
dimissio est nulla. quæ his opponi possent,  
videtur desumpta ex paritate non professorum &  
professorum, dum & hi sine justa causa expelli  
non possunt; vide diluta à Castrop. l. c. num. 6.  
hac potissimum ratione; quòd etsi in hoc conveni-  
ant, quòd ad utrumque dimissionem requiratur  
causa justa, ad dimittendum tamen non professum  
sufficiat causa minor, diversusque sit modus dimit-  
tendi utrosque, nempe non professum liberum à  
votis; professum verò iisdem ligatum; cum pro-  
fessus se tradat retinendum à religione absolute  
perpetuo quò ad professionis vinculum & subjec-  
tionem prælati debitam. Porrò causæ, ob quas  
Societas religiosos suos non profectos dimittere  
potest, 2. p. const. c. 2. ad quatuor capita redu-  
cuntur, quorum primum est; si ex retentione ali-  
cujus deus graviter offenderetur, eò quòd ita sit  
perditus moribus, ut incorrigibilis censeatur, quæ  
causa tamen aliis quoque religionibus communis  
est. Secundum, si judicaretur alicujus in societate  
retentionem contra illius bonum fore, ut si in de-  
cursu probationis detegerentur aliqua impedimen-  
ta (intellige, etsi non sint ex essentialibus) & graves  
defectus ab eo in examine taciti, qua propter  
societati infidelis fuerit in re magni momenti, de  
quo tamen ait Castrop. l. c. n. 7. quòd, si aliis do-  
ctibus polleat, unde aptus sit ministeriis societatis,  
prudentiæ superioris relinqui an re vera dimittendus  
sit. Item si morbum quidem vel dispositionem  
ad illum detexit, admissusque est (intelligen-  
dum videtur non tantum ad novitiatum, sed etiam  
ad societatem per vota biennii) eà conditione, ut  
periculum fieret sanitatis, & dein appareret, eum  
non convalescere, & labores societatis ferre non  
posse, dimitti poterit. Si verò manifestat quidem  
infirmitatē corporis valetudine sine ulla conditione,  
spe tamen concepta ad majora aptum futurum,  
ingressus in societatem, evanescente dein spe illâ  
dimitti quidem poterit, utpote deficiente illa spe  
seu conditione, sub qua tacitè admissus p. 4. const.  
c. 6. verum ut Castrop. l. c. addit si adhuc aliquo  
modo utilis religioni esse, & sine gravi detrimento  
retineri potest, credere se potius retinendum, quam  
dimittendum; tum quia defectus ille ei involun-  
tarius; tum quia se infidelem in eo manifestando  
non præbuit. De cætero, si sanus in societatem  
ingressus in obsequio societatis in ægritudinem in-  
cidit, ob quam ministeriis illius redditus ineptus,  
nequaquam dimitti potest, si ipse non consentiat;  
quia id repugnat caritati; secus tamen, si ipse,  
ut

uti potest, consentiat, existimans se extra religionem recuperaturum sanitatem, vel etiam liberius se Deo servituro; Castrop. l. c. referens sic declaratum decreto 50. alias 39. congr. 5. num. 3. Ac denique contra societatis bonum erit retentio illius, qui damnum malo vitæ exemplo allaturus iudicatur, præbendo nimirum verbis vel actibus offederalum, præcipue fuscitando discordias, svadendo inconstantiam in vocatione, moliendo quid contra commune bonum societatis. Ad hoc secundum caput rediici potest caput tertium, uti videre est apud Castrop. l. c. n. 8. uti & caput quartum, nimirum dum retentio cederet in damnum aliorum, qui de societate non sunt; cum non possit non cedere in læsionem boni nominis societatis retinere sibi incorporatos cum injuria tertii: sic dimitti poterunt, qui post vota biennii deprehenduntur vinculo matrimonii vel servitutis legitimæ, aut gravi ære alieno obstructi præsertim, si ea examinatus tacuit.

3. Resp. tertio, liberum à votis non dimitti, sed verè apostatam censerit, & eorum pœnis subjacere, qui dimissionem ex fictis causis obtinuit. V9. ad eam obtinendam fingens gravia peccata commissæ, vel gravem difficultatem in iis superandis; eò quod talis dimissio, ut pote carens causa, sit nulla ita Sanch. l. 6. sum. c. 9. num. 67. Castrop. l. c. num. 9. juxta expressum Congregationis 7. decretum 18. §. 4. sic quoque juxta idem Decretum Sanch. num. 66. Castrop. n. 10. tradunt invalidam esse dimissionem gravibus peccatis ad eam obtinendam commissis. eò quod involuntarie concessa dum concessa, quia credidit & præsumpsit societas, ea delicta patrata ex infirmitate & depravata indole, & non ex industria in ordine ad istum finem, quæ utique moraliter valde diversa sunt à commissis ex infirmitate citra talem finem. E contra validam esse dimissionem, quæ magna instantia & continua importunitate extorquetur sentit Castrop. n. 12. eò quod ista importunitas concessionem dimissionis non reddat absolute involuntariam, & ex alia parte præter sufficientem causam expulsionis, dum societas exposculet ad sua ministeria exercenda operarios voluntarios & suo instituto bene affectos. quamvis ut addit, tales raro excusentur à peccato mortali, præcipue, si post propositas causas generali declaratas insufficientes insistant urgenda dimissioni; eò quod eo ipso velle censeantur concedi sibi dimissionem ob solam importunitatem, quodque agant contra obligationem inductam per vota ad habendum animum perseverandi in religione, quantum est ex parte sua, quem animum saltem adhibita mediocri diligentia procurare & fovere tenentur, & non excludere per suam importunitatem in contrarium: qualiter verò cum iis agendum, constat ex cit. conus Decreto §. 1. & videre est apud Castrop. cit. n. 12.

*Quest. 858. quibus competat potestas ejiciendi professos, & qualiter ab iis in hoc procedendum, & an Episcopus se hac negotio ingerere possit, cognoscendo de justitia ejectionis.*

1. Resp. primò in genere: hæc expulsio, cum sit actus jurisdictionis gravissimus, supponit in expellente superioritatem & ad hoc potestatem, quo spectato jure communi competet omnibus R. P. Leur. Jur. Can. Lib. III.

superioribus professionem acceptantibus; dum iis, quia eà conditione acceptent professionem, ut proficentem in religione retinere obligentur, quam diuis secundum regulam vixerit, poterunt eum deficientem à regula vi professionis acceptatæ dimittere. Castrop. l. c. p. 19. num. 10. ac ita hæc potestas est penes prælatum monasterii, qui caput generale non recognoscit. Verum in ordinibus habentibus generale caput ex specialibus privilegiis & singulorum ordinum constitutionibus hæc potestas concessa & regulariter reservata generali; ita ut provincialibus, non ex jure ordinario, sed non nisi ex speciali commissione, utpote delegabilis, competat. Castrop. l. c. cum Suar. tom. 4. de relig. tr. 8. l. 3. c. 4. num. 19. & quidem non exercenda nisi cum consensu majoris partis capituli provincialis, ut Pirh. h. t. num. 194. cum Mirand. in man. prælat. tom. 1. q. 25. a. 1. concl. 2.

2. Resp. Secundo in specie: in societate hæc potestas dimittendi tam professos quam non professos residet penes solum præpositum generalem, qui quandoque eam committit, seu delegat provincialibus respectu non professorum, pro ut constat ex 2. p. const. c. 1. §. 2. Quod spectat ad moniales, nullus superior incontulso Pontifice vel ejus nuncio potest eas ejicere è monasterio, ob rationem supra datam, & quia est res nova & inusitata, Sanch. l. c. n. 6. Castrop. l. c. n. 3.

3. Resp. ad secundum: quod attinet modum procedendi in hac gravissima causa, tam à generali, quam provinciali; in genere quidem ad ejectionem non procedendum nisi delicto plenè probato juxta formam judiciariam unius cujusque religionis, servatis conditionibus, ab ea in causa expulsionis præscriptis; ex quibus siquid omisum, expellendus appellare potest ac debet, maximè si superior re ipsa careat potestate vel causa minùs sufficiens præsumatur religione obligata ad illum alendum & suppeditandum expensas ad litem necessitatis; quia plenè expulsus non est, cum sententiæ executio suspendatur, Castrop. l. c. n. 11. citatis Sanch. l. c. num. 8. menochi de præsump. l. 1. q. 34. num. 21. velasc. tom. 1. conf. 7. n. 3. Quod verò affert Reiffenst. h. t. num. 233. ex cit. Decreto S. conus Cardin. Trid. jussu Urbani VIII. emanato, nimirum, quod ab ipso etiam generali procedi possit ad ejectionem tantum de consilio & assensu sex patrum ex gravioribus religionis, eligendorum in singulis capitulis seu congregationibus generalibus (intellige, dum sententia ferenda in capitulo generali vel loco, ubi generalis communiter morari solet; alias enim potest generalis sex illos patres in provincia aliqua pro libitu deputare, ut Peyer. tom. 2. privil. Minimor. in constit. 10. Urbani VIII.) tumque non nisi instructo secundum eorum stylum & constitutionis processu & plenè probatis causis expulsionis ad SS. canonum præscriptum procedendum. id inquam non videtur omnibus religionibus commune, ut patet in societate, ubi praxis illa de eligendis vel deputandis illis sex patribus non servatur, sed soli generali post sumptas vel acceptas è provinciis informationes, plenasque delicti alteriusve causæ probationes sententia ferenda relinquuntur. De cætero omnibus superioribus, ut in causa ejectionis bene procedant, habendum præ oculis citatum Urban. VIII. Decretum, specialiterque observandus §. 8. quem verbotenus recitat Reiffenst. h. t. num. 236. uti & apud eundem num. 237. monitio S. Bonav. in 99. super reg. FF. Minor. q. 14.

Kkkk 2

4. Resp.



4. Resp. Ad Tertium negativè: siquidem in decreto S. Cong. de apostatis, & ejectis, ubi quid ante, quid in ipsa ejectione, & post illam servandum sit, solum statuitur, quòd sententia ejectionis notificanda ordinario, unde rectè inferitur, omne aliud eidem non concedi, ac facultatem inquirendi, an sententia ejectionis sit iustè, vel iniquè lata, & meritiò; cum recognoscere alterius sententiam sit actus superioritatis, & jurisdictionis, & facultas recognoscendi sententiam sit facultas corrigendi eandem, & sit subijcere propriæ potestati, quod ab alio gestum est, quod non fit sine exercitio superioritatis. arg. c. *sententia* 36. q. 6. c. *nemini*. L. 1. ff. de *quæst.* Regulares verò saltem plerique exempti sint à jurisdictione ordinarii juxta c. *nimis prava*. de *excess. pralat.* c. 1. §. *fin. de privil. in 6.* solumque subijciantur ei in casibus expressis, inter quos non est præsens casus, sequitur, quòd non potest Ordinarius loci se ingerere cognoscendo, an ejectionis sententia contra regularem lata à pralato religionis sit iusta, vel iniusta, ita Delben. de *immunit. Eccles.* c. 14. dubit. 16. per totam.

*Quæst. 859. Qualiter ejecti teneantur se corrigere & ad ordinem redire.*

1. Resp. Primò segregando certa à controversis: invalidè ejectus, quantum est de se, reditum suum procurare debet; quia vi vororum tenetur regularem vitam ducere, à qua obligatione per talem invalidam ejectionem, cum non sit legitime absolutus, tenetur illam observantiam pro viribus procurare, ita omnes, ut testatur Castrop. *tr.* 16. d. 4. p. 21. n. 1. sic quoque certum est, expulsum pro determinato tempore, debere eo elapso ad religionem redire, aliàs vagans extra religionem absque licentia habebitur fugitivus, & apostata, ut Castrop. *l. c.* patebitque ex mox dicendis à potiore. hinc

2. Resp. Secundò professus ob crimen ejectus per sententiam in perpetuum obligatur in conscientia, ut se corrigat, & correctus petat iterum recipi in suum ordinem, vel monasterium, seu quantum est in se, hanc receptionem procurare suar. *tom.* 4. de *relig.* L. 3. c. 5. n. 6. Sanch. *L. 6. mor. c. 9. n. 25.* Laym. *L. 4. sum. tr. s. c. 13. q. 3.* Castrop. *l. c. n. 5.* Pirh. *h. t. n. 201.* contra Nav. *comment. 2. de regul. n. 36.* & *L. 3. conf. eod. tit. conf. 80.* Azor. *p. 1. L. 12. c. 16. q. 6.* Sayr. *thesaur. cas. tit. 2. L. 6. c. 9. n. 26.* Rodriq. *tom. 1. qq. regul. q. 30. a. 20.* qui docent taliter ejectum per publicam sententiam posse tunc manere extra suum ordinem, ita ut neque à suo confessario in foro interno, neque ab Ordinario in foro externo possit cogi ad redeundum; cum pure possit se conformare iustæ sententiæ. Ratio responsionis à priori est, quòd talis ejectus verus, & substantialiter religiosus sit, & permaneat, etsi ut membrum putridum à consortio aliorum separatus, adeoque habeat obligationem statui religioso necessariò annexam, & ab eo inseparabilem, nimirum ducendi vitam communem sub obedientia prælatorum regularium, quia id votis promissum, à quibus, ut paulò post, non absolvitur. ita Castrop. Pirh. *LL. cit.* ad hæc, si ejectus in sæculo manere possit, & non teneretur ad ordinem redire, præsertim à superiore revocatus, sententia, & pœna ejectionis ei prodesset, & is commodum ex sua iniquitate referret contra *L. 12. ff. de furtis.* Neque his obstant fundamenta contrariæ sententiæ, non primò, quòd sententia expulsionis in perpetuum fuerit legitima, adeoque servanda, nam in ea virtualiter

imbitur: quamdiu judicaverit, expedire eam servari; quia in favorem ejus lata, sicut contingit in sententia perpetui divortii ob adulterium ab uno conjugum commissum, quæ servanda, quousque innocenti placuerit, nocentem revocate, ne aliàs si permissum non esset innocentibus nocentes revocare, id cæderet potius in dispensium innocentium, & in favorem, & commodum nocentium, relinquendo illos libertati, & exemptioni à subjectione. Dum autem innocentibus placet reditus, non mutatur sententia divortii, aut expulsionis; quia sub ea conditione lata. ita Castrop. *l. c. n. 6.* Non secundò, quòd religio facta hac expulsionem excusserit in perpetuum obligationem retinendi, & gubernandi istiusmodi professum. nam pari modo non excussit illam absolute, sed dum ipsa expedire, & delictum religiosi satis punitum, nullum scandalum superesse aliis judicaverit; unde & in hoc casu obligatum esse religionem cum revocare, ait Castrop. addit tamen cum Suar. *l. c. n. 13.* & Sanch. *l. c. n. 32.* quòd quia raro vel nunquam tenetur præsumere, expulsionem temporali puniri sufficienter delictum, quod pœnâ expulsionis perpetuæ legitime condemnatum est, nunquam vel raro obligationem habeat, quantum est ex se, procurandi readmissionem sui. verum de hoc sit ulterior.

*Quæst. 860 Num igitur & qualiter teneatur religio ejectum recipere, & revocare, & fugitivum requirere.*

1. Resp. Primò tenetur religio religiosum ejectum, jam emendatum, petentem suscipi recipere, nisi regula, & constitutiones ordinis approbate specialiter obstant, prohibendo, ne aliquando ejectus denuo recipiatur, vel nisi ex tali readmissione grave scandalum, aliudve damnum religioni timeatur, vel nisi ejectus post ejectionem redditus inhabilis (subintelligendum videtur, etiam quoad corporis dispositionem) ad officia ordinis. Nav. de *regular. conf.* 18. in *fin.* Molin. de *7. & 7. tr. 2. d. 140. n. 36.* Less. de *just. L. 2. c. 41. n. 112.* Barboza in *c. fin. h. t. n. 8.* Pirh. *h. t. n. 203.* Wiestn. *n. 157.* Reiffenst. *n. 245.* Arg. *c. fin. h. t.* contra Ricciul. de *jure person. extra gremium Eccl. exist. L. 8. c. 11. n. 9.* Azor. *cit. L. 12. c. 17. q. 2.* Sanch. *cit. c. 9. n. 32.* Mirand. in *man. tom. 1. q. 52. a. 7.* (quatenus is requirit, ut id fiat cum licentia, & dispensatione Papæ) uti idem de ejectis damnatis ad tirrem dicit Barboza. *l. c. n. 3.* & alios probabiliter sustinentes contrarium, eò quòd pro culpis suis ejecti ex jure & conf. Sixti V. *cum de omnibus*, edita 6. Calend. Decemb. 1587, tanquam infames religionem ingredi prohibeantur. quin etiam religionem ad ejectos plenè emendatos, petentes readmitti cogi posse ad eosdem recipiendos per censuras ecclesiasticas (salvâ tamen ordinis disciplina, & secluso scandalo) exploratum omnino esse, si dispositio *cir. c. fin. h. t.* què ad hunc articulum deducta in usum, aut ab illo recessum non esset, ait Wiestn. dum ibidem dicitur: *Statuimus, ut abbates, priores fugitivos, & ejectos de ordine suo requirant sollicitè annuatim, qui si monasteriis suis recipi possunt secundum ordinem regularem, abbates seu priores eorum, monitione prævisa per censuram ecclesiasticam compellantur ad receptionem eorum &c.* Imò seclusâ hac dispositione, ab ipsis expulsis ad hoc cogi posse, tenent expresse Pirh. *l. c.* Barboza. *l. c.* citatis pro hoc S. Antoni. *p. 3. tit. 16. c. 5.* Menoch. de *arb. c. 149. n. 1.* Molin. Nav. Less. *ubi ante* | ex ea ratione, quòd, cum religio

religio jus habeat eos revocandi, & cogendi ad reditum, etiam vice versa ejecti post sufficientem correctionem regulariter quoque jus habeant cogendi religionem ad se recipiendum, ne dispar utriusque contrahentis conditio existat, quam tamen rationem satis plausibiliter retorquent adversarii, ostendendo disparitatem inter religionem, & ejectum desumptam ex delicto alterius, exemplo matrimonii, dum post sententiam divortii innocens potest cogere nocentem adulterum ad redeundum; non tamen nocens innocentem ad se recipiendum.

2. Resp. Secundò: quætere & requirere quoque sollicitè fugitivos, & ejectos suos (quo nomine hic veniunt etiam apostata, ut Sylv. v. apostasia. q. 6. Pirh. h. t. n. 190.) annuatim tenentur (subintellecta hic iterum limitatione: quantum fieri potest sine scandalis) abbates & priores (per quos intelliguntur non tantum præsidēs capitulorum generalium, vel qui toti ordini, vel provinciæ præsunt, sed etiam præsidēs locales, & immediati locorum, ut Pirh. l. c.) ita ut hæc jura inquirendi, & reducendi eos, primò & principaliter spectent ad Prælatos regulares; non autem ad Episcopos, seu Ordinarios, nisi illi horum auxilium imploraverint, vel fugitivi in eorum dæcessi cum scandalo deliquerint; vel Prælati regulares in iis reducendis fuerint negligentes. Mirand. in man. prælat. tom. 1. q. 51. a. 3. Laym. l. 4. tr. 5. c. 13. n. 7. Pirh. l. c. uti hæc de requirendis fugitivis per dictos Prælatos habentur in c. fin. h. s. cujus constitutionem, quamvis intelligendam esse de injustè ejectis (puta ex defectu potestatis in ejiciendo, vel causa, vel ordinis juridici non servati) utpote quos solos restitui jus naturale dicitur, teneant Nav. de regul. comment. 2. n. 36. Et tit. eod. conf. 51. in fine. Rodriq. regul. q. tom. 3. q. 30. n. 71. Azor. p. 1. l. 12. c. 16. q. 2. in fin. Less. l. c. n. 110. & alii apud Barbof. l. c. rectius tamen docere videntur intelligendum de justè ejectis per sententiam definitivam ritè latam. Abb. in cit. c. fin. n. 2. Barbof. ibid. n. 3. Fagn. n. 17. Sanch. cit. n. 9. n. 17. quos citat, & sequitur Pirh. h. t. n. 192. tum quia, si de injustè ejectis hic ageretur, non præciperetur Prælati, ut annuatim illos requirant, sed ut statim id faciant; cum injustè spoliatus sit illico restituendus, tum quia cit. c. dicitur, rejectos, si recipi non possunt in suis monasteriis, concludendos esse in arctis ergastulis, & cameris, vel in aliis monasteriis ad agendam penitentiam, quæ convenire non possunt injustè ejectis, cum hi potius benignè recipiendi, & tractandi in compensationem injuriæ illis illata. Ita Pirh. tum denique, quia elicitur ponendos in locis competentibus apud monasteria, si id sine scandalo fieri possit, dum nimirum ejecti talia totque scelera commiserunt, ut reliqui monachi manere nolint in monasterio, si illi revertantur, ut Hostiens. in cit. c. fin. v. gravi scandalo. quæ iterum accommodari non possunt injustè ejectis. Nihilominus dictæ constitutioni derogatum esse (ut ei derogari potuit; quia est juris humani) per consuetudinem contrariam, quæ constat, non solere fieri annuatim illam requisitionem, adeoque in hoc, quod ad fugitivos servanda esse statuta religionum, & jus naturale tenent Sanch. l. c. n. 18. Azor. l. c. c. 17. q. 1. Laym. cit. c. 13. n. 7. quos sequitur Pirh. n. 193. (quamvis idem in fine restetur constitutionem illam ab Urb. VIII, & S. Cong. concil. die 21. Sept. 1624. innovatam, & insuper declaratum illam in iis quoque locum habere, & servandam qui definitivè justè servato juris ordine, expulsi fuerunt, modò saltem literis ordinariis testimonialibus constet emendatos

esse, aut evidentem spem emendationis adesse) contra Fagn. l. c. cui inhaeret Reiffenst. n. 259. docentem hanc consuetudinem esse corruptelam, utpote contra jus divinum, dum, quivis pastor jure divino teneatur oves pascere, & errantes reducere. non tamen necesse esse, nec sufficienter annuatim fieri illam requisitionem, sed toties, quoties opus est eam fieri, adestque occasio, & spes inveniendi reducendique, salvis Ordinis constitutionibus, ita Suar. l. c. tr. 8. l. 3. c. 2. n. 17. Tamb. de jure. Abb. tom. 3. d. 8. q. 3. n. 5. Pirh. Reiffenst. LL. cit.

*Quæst. 861. Num fugitivus & apostata ubicunque inventi à Prælati suis regularibus capi, & incarcerari possint?*

1. Resp. Affirmativè cum Nav. comment. 3. de regul. n. 50. Pirh. h. t. n. 190. Wiestn. n. 149. ex ea ratione, quod quicumque possessor alicujus rei, si ea ab illo auferatur, potest illam propriâ autoritate recuperare; cum jus habeat ei insistendi, prout Bald. in L. Si quis. §. differentia. ff. de acquir. poss. n. 4. religiosus autem ratione voti obedientiæ est totus religionis, & personaliter obstrictus Prælato regulari: & tales perpetuò personaliter obstricti alteri, si fugiant, capi, & ad obedientiam reduci possunt propria autoritate. Pirh. & Wiestn. LL. cit. cum Baldo. argumento etiam desumpto à servo fugitivo, quem, quia possidet dominus, ubicunque cum inveniatur, capere & reducere potest propriâ autoritate, per L. 1. §. per servum. ff. de acquir. poss. His non obstante, quod rei fugitivi extra territorium proprium persecutione, & apprehensione violetur territorium, & jurisdictio aliena, Arg. L. fin. ff. de jurisd. ita ut captum ante omnia relaxate, & pristina libertati, quam habebat in alieno territorio, necesse sit restitui, ut Farin. pr. crim. q. 7. a. 40. Gail. l. 1. de pace publ. c. 16. n. 27. eò quod Magistratus extra provinciam, & territorium suum privato habeatur L. præses. ff. de off. præsid. In hoc enim est disparitas, quod captio servi, & religiosi fugitivi non fiat vi jurisdictionis, ut captio rei, sed vi domini per modum vindicationis, & necessariæ defensionis, Avita. de cens. p. 2. c. 3. disc. 2. d. 4. Tamb. de jur. abb. tom. 3. d. 8. q. 3. n. 2. ubi etiam de variis concessionibus diversis religionibus desuper factis à Pontificibus, & nominatim à Pio V. cicerati Jesu, uti etiam refertur in comp. privil. ejusdem societatis V. apostata §. 8.

*Quæst. 862. An ejecti reduces recipi possint sine nova professione, & restitui in pristina officia & gradus.*

1. Resp. Ad primum: illos non indigere novâ professione, cum à ptiore non fuerint absoluti, sed solum antiquæ obligationes ex ea ortæ ad tempus expulsionis, quod ad exercitium sint suspensæ, sicut contingit in casu divortii, dum, cum nocens revertitur, & reconciliatur, non renovatur vinculum matrimonii, utpote quod per divortium sublatum non fuit, sed redit usus per illud suspensus; Nav. comment. 2. de regul. a. n. 34. Less. l. c. n. 112. Sanch. l. 6. mor. c. 9. n. 33. Castrop. l. c. p. 21. n. 2. Wiestn. h. t. n. 158.

2. Resp. Ad secundum: ejectos justè reduces eo ipso non videri restituendos in gradum pristinum, puta antiquitatis professionis quod ad sedem, locum, suffragia, cæteras prerogativas, quas antè  
K k k k 3  
ejecti

ejectionem habuerunt, ita tenet eum Suar. *l. c. tr. 8. c. 5. n. 17.* Castrop. *l. c. n. 7.* contra Sanch. *l. c. n. 33.* cui inhaeret Pirh. *n. 204.* ed quod, qui expellitur à religione, expellatur ed ipso ab omni gradu honoris religiosi, sitque hujusmodi gradus non ita professioni annexus, quin in poenam delicti saepe professus eo privetur, & maximè ejectus eo privandus sit, tum in ejus humilitatem; tum in aliorum exemplum. quamvis contingere possit (ut Castrop. loco limitationis addit) talia edere poenitentiae signa ejectum, ut meritò ad honoris gradum amissum restitui possit, praesertim, si spectetur alios ejectos inde ad poenitentiam, & reditum movendos.

*Quaest. 863. Utrum expulsus, dum non recipitur à suo ordine, possit aut teneatur ingredi aliam religionem?*

1. **R**esp. Primo: ejectus, qui post emendationem sui, & postquam, quantum ex parte sua est, fecit, ut reciperetur, receptionem ad ordinem, à quo ejectus est, obtinere non potuit, aliam religionem ingredi non tenetur, sed potest securè in saeculo manere. Nav. *comment. 2. de regul. n. 36.* Azor. *p. 1. inst. mor. l. 12. c. 16. q. 7.* Rodriq. *qq. regul. tom. 1. q. 30. a. 20.* Less. *l. c. n. 111.* Sanch. *l. c. n. 34.* Suar. *l. c. n. 20.* Laym. *L. 4. sum. tr. 5. c. 13. q. 5.* Castrop. *l. c. p. 22. n. 1.* Barbof. *in c. fin. b. t. n. 9.* Molin. *l. c. D. 140. vers. cum ad votum Pirh. b. t. n. 204.* ex ea ratione, quod vi professionis factae, & status assumpti obligatur solum ad permanendum in eodem, & nequaquam ad ingrediendum aliam religionem, casu quo in eo non permanerit, aut ab eo ejectus ad eundem regredi impediatur; quia emittens professionem non promissit religionem in genere, sed hanc solum, & nullam aliam pro quocunque casu, contrarium tamen tenentibus S. Bonavent. *in reg. S. Francisci l. c. q. 14. in fine.* Cordub. *in eadem reg. c. 2. q. 21. p. 3.* S. Antonin. *p. 3. tit. 3. c. 4. in fine.*

2. **R**esp. Secundo: sed neque Praelatus ejectum talem cogere potest absolute ad ingrediendum religionem aliam in eaque profitendum; cum professio in aliqua religione ob sui perfectionem debeat esse plenè voluntaria, seu libera; unde etiam licet invitus detradi possit in monasterium ob delicta sua ad agendas in eo perpetuo poenitentiam juxta *c. quoniam de simon.* non tamen cogi potest ad profitendum in illo, ita Nav. *l. c. n. 71.* Less. *l. c. n. 114.* Rodriq. *l. c. q. 30. a. 22.* Sanch. *l. c. n. 42.* Castrop. *n. 2.* Pirh. *n. 206.* Barbof. *l. c.* Wiestn. *n. 159.* Potest tamen justè ejiciendus sub disjunctione, vel conditione cogi ad aliam religionem ingrediendum, ita ut si conditionem acceptet, teneatur aliam ingredi, vel si non ingrediatur, aut ingressus tempore Novitiatu recedat, teneatur ad priorem redire, quippe non impletà conditione, sub qua solum fuerat à priore absolutus, seu dimissus; quia sic non compellitur ad aliam religionem ingrediendam, sed datur ei optio, ut vel ad aliam religionem transeat, vel ad suam emendatus redeat. ita Pirh. *l. c.* cum Sanch. *cit. n. 42. & 43.* ad modum praxis in societate usitatae, ubi scholasticis juxta *congreg. general. 7. Decretum. 18. §. 3.* legitimà causà non allegatà petentibus dimissionem ea concedi solet sub ea conditione, ut ad aliam religionem transeant, vel ad societatem redire teneantur, quin etiam sub disjunctione cogi potest ejectus à superiore ad illum ingressum, ut vel subeat t'remes aut carceres perpetuos, dum ad illam poenam justè damnandus, aut damnatus; cum tunc ingressus ille non proponatur

ad onus, sed ut beneficium, quo ab illa justa poena liberetur. Castrop. *l. c.* citatis Suar. *ubi ante c. 5. n. 20.* Sanch. *cit. n. 42. & 93.* Laym. *l. c. q. 5.*

3. **R**esp. Tertiò: potest tamen talis ejectus, dum per eum non stat, quò minus recipiatur ab ordine è quo ejectus est, liberè sine petita venia à superiore, à quo ejectus est, transire ad aliam religionem, etiam laxiorem. Nav. *L. 3. conf. 78. b. t. Rodriq. l. c.* Sanch. *l. c. n. 36.* Pirh. *n. 205.* Wiestn. *n. 161.* Castrop. *l. c. n. 3.* cum enim talis liberatus sit ab obedientia prioris Praelati, & observantis regulantibus religionis, è qua ejectus, potest absque ejus licentia, eoque etiam invito, manere in saeculo, multò magis sic ingredi potest aliam religionem, ut Sanch. *n. 37.* Addit tamen Castrop. non posse illum aliam religionem ingredi, quàm quam non potuisset ingredi seclusa expulsiōe, nisi priùs propriae religioni ostendat se poenitentem, & emendatum, ut illi constet, per illum non stare, quò minus ad illam revertatur. quin etiam *n. 4.* talem recipi non posse in alia religione sine licentia sedis Apostolicae, nisi provincialis vel generalis literas testimoniales desuper deferat, ita tamen, ut propter eorum defectum ingressus ille non sit nullus, ut est ingressus alterius non ejecti, ut voluit Suar. & Rodriq. ab eo citati contra Sanch. *n. 39.* Sed solum sub obligatione praeccepti, ut fiat modo conveniente, manifestato nimirum superioribus statum ingredientis. Porro ut ejectus transeat legitimè ad aliam religionem, debet post exactum in ea annum probationis, annum in ea de novo profiteri, post quam professionem revocari amplius nequit à Praelato prioris suae religionis; quia jam desuit esse religiosus ejusdem superioris, posterioris religionis obstrictus. Pirh. *n. 205. in fine.* cum Sanch. *l. c. n. 38.*

*Quaest. 864. An & qualiter in perpetuum ejecti maneant obstricti votis.*

1. **R**esp. Ad primum: praeter jam dicta de eo sparsim in antecedentibus, ejectum in perpetuum votis substantialibus manere obstrictum; cum ejectio non sit absolutio à votis, maneatque ejectus verus religiosus, ex quo Praelatus inferior Papà non potest facere non religiosum, cum communi tenent Azor. *l. c. c. 16. q. 4.* Less. *l. c. n. 112.* Sanch. *l. c. n. 25.* Mirand. *tom. 1. q. 52. a. 5.* Pelliz. *tom. 1. tr. 8. c. 8. n. 29.* Pirh. *n. 196.* Barbof. *l. c. n. 10.* citatis insuper plurimis aliis.

2. **R**esp. Ad secundum: quod attinet ad observantiam, seu exercitium singulorum in particulari, primò certum est illum ad votum castitatis servandum eodem prorsus modo teneri, ac si ejectus non esset; cum enim materia hujus voti sit abstinentia à licito, & illicito concubitu, omnique actu venereo, & hæc non pendeant ab hoc vel illo statu, integrè etiam servanda in statu expulsiōis. Castrop. *l. c. p. 23. n. 7.* Secundò paupertas servanda juxta exigentiam status, in quo talis ejectus est constitutus. unde cum status ille non exigit illum habere dominium, non potest appropriare sibi quicquam, seu tanquam proprium acquirere, aut possidere, quin & ne quidem usum fructum propriè talem, utpote consistentem in jure, habere; sed solum usum & administrationem rerum ad victum vestitum, & habitationem necessariorum, hunc usum & administrationem ei concedente religione expellente, vel potius Pontifice jure ipso, vel consuetudine inducta ei permittente, modò non sit usus pravus. ut Castrop. *n. 3.* Tertiò, quamvis obedientiae executio magna ex parte cesset respectu illorum; quia non habent superiores regu-

regularem, à quo de facto gubernentur; non tamen omnino ab obedientia praelati regularis eximuntur (& consequenter nec à voto illius suspensionis illius obligatione ob defectum materiae circa quam versetur ut molin. tom. 1. de just. d. 140. circa finem, Sanch. l. c. n. 29. & 31. Less. cit. c. 41. in fine. & alii apud Castrop. l. c. n. 3.) dum etiam inter cetera dicti praelati eis impetare possunt ut redeant in quo iis obedi-  
rententur ad hæc universaliter parati esse debeant in omnibus illis obedire, si denuo recipiantur & ita tenent Castrop. cit. p. 3. n. 5. Pirh. n. 189. Reifensl. h. t. n. 24.

*Quæst. 865. an & cui Episcopo & in quibus eiectione debeant obedientiam.*

1. Resp. ad primum: de eo, non ita convenit inter AA. Vi voti emissi in professione, seu status religiosi nullam eos debere obedientiam Episcopo loco praelati regularis sentiunt Molin. Less. Sanch. LL. paulo ante cit. Item Laym. cit. l. c. 13. n. 4. Pirh. l. c. Wiestn. n. 164. Reifensl. n. 241. Rodriq. l. c. 9. 30. a. 19. & alii communiter contra Nav. comment. 2. de regul. n. 35. resol. in prax. Episc. p. 2. V. regulares §. 3. ex eo capite, quod non teneantur ad aliam obedientiam, nisi quam voverunt, non autem voverunt eam extra religionem Episcopo: tenentur nihilominus ad generalem & eo modo exhibendam obedientiam Episcopo Diocesis. ut aa. citati quin & tradit, Castrop. l. c. n. 8. ejectionem, qui aliàs erat Episcopo subiectus, quia erat de religione non exempta à jurisdictione Episcopi, post expulsionem manere sub speciali illius obedientia, ut possit ei præcipere, quia necessaria sunt expulso iuxta suum statum & modum vivendi extra religionem; cum expulso expulso non rejiciat à regimine praelati extrinseci, sed intrinseci religionis seu regularis. Idem Castrop. n. 5. dicit de illo ejectione, qui prius exemptus erat ab omni jurisdictione Episcopi, eo quod is expulsione in ejus jurisdictionem incidat, non tantum, quia non fruitur amplius privilegio religionis exemptæ; sed & quia, dum religiosus in professione sua voverit obedientiam intelligitur eam voveri praelatis regularibus, dum ab iis regitur, Episcopis verò, dum à praelatorum regularium regimine excluditur, quem voverit modum dicitur statui religioso, tum expulso convenientiorem, ad hæc, quia negari nequit Episcopum regere & gubernare posse & debere omnes, quotquot in ejus diocesi existunt secundum statum & conditionem illorum, ita ut hæc gubernatio non tantum ex jurisdictione Episcopali, sed ex voto obedientiæ ortum habeat atque ita Castrop. sentit cum Nav. & Zerola, quos pro se citat, uti & Suar. tom. 4. de religione tr. 6. l. 3. c. 6. n. 4. & seq. Quæ in hoc puncto dicta sunt de Episcopo, efficacius à Castrop. n. 5. probantur de summo pontifice, non tantum quatenus Ecclesiæ & omnium fidelium pastor est, sed etiam quatenus religiosorum omnium supremus praelatus est, cui quæ tali ex voto obedientiæ ii subiant, quique proinde expulso præcipere potest, quæ religiosus in conditione expulsi-  
onis decent, isque ei obedire tenetur, hac obligatione obediendi Papæ per expulsionem minimè suspensa, cumque illius suspensionis respectu pontificis nulla sit necessitas, actuali hoc regimine & dominio religiosi expulsi is privari non debeat.

2. Resp. ad secundum probabiliter per Episcopum, cui, si quæ præstanda obedientia, non intelligitur hic Episcopus originis, ut volunt Nav. l. c. n. 34. Barbos. l. c. n. 11. citatiq. ab eo Riccius in pr. aur. resol. 183, per tot. Ugolin. de offic. Episc. c. 20.

§. 9. in fine. Mirand. campan. &c. utpote, qui sit immutabilis & à voluntate ejectionis independens, quia contingit sæpe religiosum expelli in loco remotissimo à loco suæ originis, adeoque molestissimum ei esse hunc locum adire & illi Episcopo se præferant. sed intelligitur Episcopus loci in quo commoratur vel quia peregrinus, vel quia ibi domicilium figit ejectionis Suar. l. c. l. 3. c. 6. n. 8. Castrop. cit. p. 23. n. 8. Ratio responsionis est; quia ut dictam Episcopus est superior omnium in diocesi sua existentium non exemptorum, qualis non est amplius ejectionis. quod ad ordines tamen suscipiendos subiectus est ejectionis Episcopo originis non secus ac alii Clerici sæculares quin & Episcopo domicilii & habitationis ita subiectus non est, quin absque illius consensu domicilium & habitationem mutare possit, non secus ac alii Clerici sæculares; cum ex vi voti obedientiæ non privaverit se libertate faciendi hanc mutationem in statu expulsionis; Sed solum dum in religione sub suorum praelatorum regimine existit & vitam communem degit. Castrop. l. c. n. 8.

3. Resp. ad tertium: Si Episcopo non tantum ut alii Clerici sæculares, sed specialiter subiectus est ut religiosus ejectionis, utpote cui suas vices in eo gubernando commisisse censendus sit Papa ut Castrop. l. c. n. 5. tenebitur in iis illi obedire, quæ ad observantiam castitatis & paupertatis status expulsionis accommodatæ judicabuntur moraliter necessaria, uti & in iis, quæ pro religiosi status decencia & honore in eo vitæ genere conservando requiruntur cum maneat religiosus, adedque eum vivendi modum, qui statum religiosum non dedecet, servare obligatus. Unde si ludis, commensationibus se detum scandalo, habitum honestum non portet, aliæque in status religiosi ignominiam perpetrer, posse eum præcepto pænisque cogi ab Episcopo, sicut posset à praelato suo regulari puniri, dum esset intra religionem tradit cum Suar. l. c. 6. n. 18. Castrop. l. c. n. 9.

*Quæst. 866. Utrum eiectione teneantur ad alia vota emissæ in religione, aliasque austeritates & observantias regulares, ad recitandum officium divinum, deferendumque habitum religionis.*

1. Resp. ad primum: juxta probabiliorē in perpetuum ejectionis non teneri votis præter tria substantialia emissæ in suo ordine, non quidem extincta omnino eorum obligatione, sed suspensa, quam diu extra religionem sunt, eo quod talia vota religiosum non constituent, nec cum emissione trium votorum substantialium necessario connexa. & ita tenent AA. pro sequenti respons. citandi, & sic in specie Sanch. cit. c. 9. n. 56. cum Vega. in sum. tom. 2. c. 86. cas. 16. apud Barbos. l. c. n. 12. & quos sequitur Pirh. h. t. n. 200. in fine resolvit. quartum votum in religione B. Mariæ de merced. vacandi redemptioni captivorum, uti & illud in ordine minorum S. Francisc. de paula. de quadragesimali jejuniis tota anno & temper servando non obligare ejectionis ex his ordinibus.

2. Resp. ad secundum: neque obligari ejectionis ad servandas alias ordinis sui austeritates, puta jejunia, delectum ciborum, vigiliis, orationes, penitentias aliæque similia à regula suæ religionis præscripta, etiam sub peccato gravi obligantia. Sanch. l. c. n. 50. citatiq. ab eo n. 53. Aragon. Sayr. Sa, &c. Item Suar. l. c. 6.

*Lc. n. c. 9. n. 11. & seq. Laym. L. 4. sum. tr. 5. c. 13. 9. 2. Less. cit. c. 4. r. n. 115. Barbos. cit. n. 12. Castrop. Lc. n. 10. 12. Nav. L. 3. conf. 79. h. t. Pirh. b. t. n. 199. contra D. Antonin. p. 3. tit. 16. c. 5. §. 8. Sylv. V. religio. 6. 9. 17. Cordub. in reg. f. Francisc. c. 1. q. 2. 1. punct. 3. Portel. in dub. regular. v. ejicere ab ordine. n. 5. Villatob. in sum. p. 2. tr. 35. diff. 39. n. 5. & seq. Donat. Tom. 1. tr. 9. §. 2. n. 199. Rodriq. n. 1. q. 30. 20. Pelliz. tom. 2. tr. 8. q. 8. n. 32. quos sequitur Reiffenst. b. t. n. 242. idem dicens de religioso damnato ad Tirimces. Ratio responsionis est, quod hæc observantia non comitentur absolute & inseparabiliter emissionem trium votorum substantialium constituentium religiosum, neque religiosus censetur promittere regulæ & vi illius præceptorum observationem, nisi dum à religione alitur, gubernatur, & in aliorum consortio vivere permittitur; regula siquidem opposita est ad regendos religiosos in communi viuentes, non ad regendos religiosos à religione & communitate separatos. His non obstante, quod nemo ex delicto suo referre debeat commodum, quale reportaret, dum ejectus ab observantia regulæ liberaretur, nam quamvis id per se verum sit, per accidens tamen id fieri potest, ob defectum nimirum alicujus principalis, cui aliqua obligatio annexa est accessoriè, ut in præsentem obligatio ad observantiam regulæ est annexa statui regulari & actuali perseverantia in illo quæ cum deficiat per legitimam & perpetuam ejectionem professi, consequenter etiam & per accidens cesset & deficiat dicta obligatio illa accessoria.*

Resp. ad tertium. neque tenentur istiusmodi ejecti dum non sunt in sacris, ad recitandas horas canonicas; cum hæc obligatio solum ex consuetudine annexitur religiosi ad chorum deputatis intra religionem degentibus, & non iis, qui à religione separantur, dum hac separatione cessat eorum deputatio ad chorum, & quidem efficacius, quam si ad gradum laicorum intra eundem ordinem transirent. Suar. Lc. c. 6. n. 12. Castrop. Lc. n. 11. & tr. 7. de horis can. D. 2. p. 1. §. in fine. Barbos. cit. n. 12. citans Sotum. de just. L. 10. q. 5. a. 3. Bonacin. de hor. can. d. 1. q. 2. p. 2. n. 6. & alios. & pro contraria opinione referens Nav. de orat. c. 7. n. 20. Less. de just. L. 2. c. 36. du. n. 50. Azor. inst. mor. p. 1. L. 10. c. 6. à q. 5. Malder. & alios.

4. Resp. ad quartum: non tenentur deferre habitum sui ordinis. Nav. comment. 2. de regul. n. 36. Azor. cit. L. 12. c. 18. q. 13. Sayr. in clavi reg. L. 6. c. 9. n. 28. Less. cit. c. 41. n. 112. Sanch. cit. c. 9. n. 55. quos citat. & sequitur Barb. cit. n. 12. Item Castrop. n. 12. Pirh. n. 200. qui tamen addit, teneri illos eum deferre, si eo spoliati non sint, exemplo Episcopi, qui habitum sui ordinis, ex quo assumptus, deferre debet. Ratio responsionis est, quod habitus ille gestetur ad significandum gestatorem illius esse membrum talis religionis, illique unitum, & sub ejus regimine, quod locum non habet in ejectis, ita Castrop. L. c. non obstante exemplo Episcopi, quia id illi, à religionis regimine separato expresse præcipitur jure communi, nimirum c. 2. de vita & honestate cler. de quo vide Castrop. Lc. p. 24. à n. 10. ad n. 15. ad hæc Episcopus separatur à religione per ascensum ad superiorem statum ac ita habitus religiosi gestatio cedit in honorem religionis, secus ac in ejecto contingit. Castrop. Lc. p. 23. n. 12. cum Suar. Lc. c. 6. n. 14. Quin etiam ejectus, si per sententiam spoliatus est habitu, uti ferè semper fit; eò quod illius gestatio in ignominiam

religionis reputaretur, obligatus est eum non deferre. Nav. Less. Sanch. Castrop. LL. cit. Suar. L. c. n. 24. Sed neque tenetur ejectus ad habitum clericalem deferendum, dum clericus non est; cum neque ex natura rei, neque illo textu juris ad hoc obligetur. Suar. cit. n. 14. Castrop. n. 12. in fine.

Quæst. 866. Ejecti & fugitivi cui acquirant.

1. Resp. primò acquisita per eos quocunque titulo cum illis cedere non possunt quò ad proprietatem seu dominium, aut etiam ad usum fructum propriè talem secundum dicta de utrisque supra. quò ad fugitivos si statum non mutaverint, de jure communi juxta c. abbates 18. q. 2. acquiruntur ea religioni non secus ac obvenientia ei in monasterio degenti, Castrop. tr. 16. d. 3. p. 19. n. 3. Wiestn. b. t. 165. cum communi, exemplo servi fugitivi, cujus fugitivi & ab alio non professi bona acquiruntur domino juxta l. 1. §. 14. ff. de acquir. possess. Fuga siquidem sicut non liberat servum à dominio domini, ita nec fuga religiosi cum à dominio religionis excludit, nec tollit potestatem prælati eum gubernandi & puniendi, an autem acquirantur toti religioni, an conventui, in quo professionem emisit, spectandum esse religionis consuetudinem, cum Sanch. ait Castrop. l. c. n. 1. Idem quod de fugitivo, dicendum quoque de apostata cum Bartol. in cit. §. 14. V. quò fin. 2. astruunt Host. in s. cum olim. n. 13. Tapia in auth. ingressi c. d. ff. Eccl. v. sua. c. 7. n. 1. Sanch. l. 7. mor. c. 33. à n. 2. quos citat & sequitur Wiestn. l. c. Quod si verò fugitivus aliam religionem ingressus sine licentia suorum superiorum prælato eum recipiente conscio hujus malitiæ acquiruntur religioni, à qua suffugit, omnia, nisi fortè intuitu religionis de novo assumptæ ei quid donatum fuerit; cum id potiùs religioni, quam religioso donari videatur. Ita cum Sanch. cit. c. 33. à n. 10. Castrop. l. c. n. 3. Si tamen receptus bonæ fide à prælato secundæ religionis & professionem fecerit, durante illa bona fide acquisita ab eo (intellige operis suis seu labore vel industria; non tamen successione, donatione, legato) cedere monasterio putativo seu secundo censent Nav. comment. 2. de regul. n. 30. Azor. p. 1. c. 10. q. 1. Tapia l. c. 6. n. 22. & 23. apud Castrop. l. c. ipse verò cum Sanch. l. c. n. 16. verius censet contrarium, nimirum quomodocunque acquisita cedere priori monasterio, ex ea ratione, quòd ex bona fide secundi monasterii jus acquisitum priori monasterio succedendi in omnia jura & actiones sui religiosi diminui non possit; non jure naturali, ut constat, non jure positivo; cum in eo derogatum illi non reperitur: neque enim ex eo à servo fugitivo, qui non vero domino sed putativo bona fide possidendi eum acquirat juxta l. si servus, qui bona fide. ff. de acquir. rerum domin. argumentatio valet; cum ratio, cur servus acquirat domino putativo, sit, quòd possessio bona fide præscripta dominium præcedens mutare possit, novumque constituere. l. per eum ff. de acquir. poss. §. fin. putativa verò professio veram professionem causate non possit. porro si religiosus fugitivus sine debita dispensatione promoveatur ad Episcopatum aliudve beneficium, quidquid inde acquirat, cedit Ecclesiæ; cum promotorio illa sit nulla, adeoque beneficia illa habeant se, ac si vacantia, acquisita tamen ab eo, non titulo beneficii aut intuitu illius, sed contemplatione personæ illius, cedunt religioni relicta: & in dubio, cujus intuitu relicta, standum conjeturis ita Castrop. l. c. n. 4. cum Sanch. l. c. n. 26. Item Wiestn. b. t. n. 167.

2. Resp. Secundò: Quod attinet ejectos; quid-  
 cum ab iis injustè ejectis ex malitia prælati vel illius  
 cum minore parte conventus acquirat, cedit religio-  
 nis; quin & si ejectus ex malitia religionis vel conven-  
 tus, ea adhuc cedunt religioni (licet hæc iis in pœ-  
 nam privari possit, ut volunt aliqui, quod ipsum ta-  
 men, qualiter in pœnam privari possit monasterium  
 in hoc casu bonis illis, difficile sibi videri ait de Lugo,  
 de *Just. d. 3. n. 238* quem vide) cum ea tali expul-  
 sione injusta non eximat se ad alendum & gubernan-  
 dum illum; ad eoque nec à jure succedendi illi in bo-  
 nis ab eo acquisitis, ita Molin. *tom. 1. de just. d. 140.*  
*vers. quod ad votum. Less. cit. n. 12. Suar. de relig. tom.*  
*4. r. 8. l. 3. c. 6. n. 19. Sanch. cit. c. 33. n. 24. Castrop. l.*  
*c. n. 6. Idem est de expulsis justè pro certo tempore,*  
 cum ii finito tempore cum omnibus à se acquisitis de-  
 beant reverti ad religionem, negant verò id cum Gl.  
 in *creand. mox. c. univ. F. languidis. Abb. ibid. ad finem.*  
*Nav. l. c. n. 33. Azor. cit. l. 12. c. 16. q. 9. Sanch. cit. c. 33.*  
*n. 16. de absolutè & in perpetuum ejecto; eò quòd*  
 cum monasterium communicationem non habeat;  
 ipsumque illum à se expellendo, videatur omnia il-  
 lius à se abjicere, exemplo servi, qui, si à domino re-  
 linquatur, non domino acquirit juxta *l. quod servus.*  
*ff. de stipul. servor.* item exemplo infantis expositi à  
 parente qui huic non lucratur. *c. univ. de infantib. C.*  
*langvid.* Ad quæ tamen exempta bene respondet Ca-  
 strop. *cit. p. 19. n. 12.* non esse paritatem; cum servus  
 à domino expulsus consequatur libertatem, & sibi  
 acquirat. Infans quoque expositus liberetur patriâ  
 potestate, item Dominus expellens servum, parens  
 exponens infantem in pœnam privetur illis bonis;  
 religiosus verò per ejectionem non consequatur so-  
 lutionem à votis, & jugum monasticæ disciplinæ non  
 excutiat, neque religio ejectione justâ committat cul-  
 pam ob quam bonis religiosi sui privari debeat. Cum  
 verò in hoc casu non acquirantur monasterio nec ipsi  
 ejecto, & tamen alicui acquiri debeant quoad pro-  
 prietatem, cum habenda non sint pro derelictis, cui  
 sic acquirenda sint, valde inter se controvertunt  
 AA. dum aliqui cum Nav. *l. c.* volunt, eorum domi-  
 nium ad Deum, & administrationem ad Episcopum,  
 spectare sed minus probabilis est hæc sententia; cum  
 omnia bona temporalia cedere debeant in domini-  
 um humanum, & non solum in divinum. Ad hæc eor-  
 um administratio competere nequeat Episcopo, ut-  
 pote secundum dicta concessa ipsi ejecto, & hic non  
 reincident magis sub obedientiam Episcopi, quam alii  
 clerici sæculares alii, ut Sayr. *in clavi reg. l. 6. c. 9. n.*  
*28. Azor. l. c. c. 16. q. 9. Sanch. cit. c. 33. n. 28.* censent,  
 quòd veluti alia bona vacantia pertineant ad princi-  
 pem vel remp. ita & hæc; adeoque pontifici acqui-  
 ri, & nomine hujus Episcopo vel Ecclesiæ, quæ eo  
 defuncto disponere de iis possit. Alii denique, ut Mo-  
 lin. *Less. l. cit. Suar. l. c. n. 22. de Lugo de Just. d. 3. n.*  
*240. Castrop. l. c. p. 19. n. 11.* ut extricent se his diffi-  
 cultatibus, rejecta illa opinionum varietate probabi-  
 lius tenent absolutè (exclusa translatione etiam justè  
 ejecti ad Episcopatum vel beneficium religioni non  
 subjectum; in quo casu acquisita ab eo omnia cedunt  
 Ecclesiæ Episcopali vel in qua est beneficium, juxta  
*c. univ. 18. q. 1.*) omnia ab eo acquisita quò ad domi-  
 nium eorum obvenire adhuc monasterio; cum ex eo,  
 quòd illum egerit, ut sibi inutilem & nocivum, non  
 possit inferri etiam bona ab eo acquisita abjecisse;  
 cum hæc ei non nocumentum, sed utilitatem affe-  
 rant. Et hæc spectato communi antiquo. Siquidem  
 circa hæc posteriores pontifices statuerunt diversa  
 quædam. Sic Pius IV. constitutione sua: *decens esse*  
*consensus.* Decrevit omnia acquisita à clericis tam

R. P. Laur. Jur. Can. Lib. III.

sæcularibus (exceptis tamen Ecclesiæ Romanæ Car-  
 dinalibus) quàm regularibus (exceptis tamen etiam  
 laicis, ut Suar. *l. c. l. 3. c. 2. n. 24. Castrop. l. c. n. 20.* ut-  
 pote qui licet in favorabilibus veniant nomine cleri-  
 corum, non tamen in odiosis & pœnalibus per illicitam  
 negotiationem vel aliàs contra sacros canones  
 ad Cameram Apostolicam spectare. Unde juxta hanc  
 constitutionem regulares non tantum extra claustra  
 degentes cum licentia superiorum, vel ad benefici-  
 um legitimè promotos, sed & fugitivi & ejecti, quid-  
 quid illicitè (intellige de illiciteitate, proveniente  
 ex natura rei, vel quia est contra si. canones, & non  
 de illicita tantum spectatis propriæ religionis consti-  
 tutionibus acquisitione, ut Suar. *l. c. c. 2. n. 25. Ca-*  
*strop. cit. n. 20.*) acquirunt, cedit Cameræ Apostolicæ.  
 Addit tamen Suar. *n. 28. Castrop. n. 20.* probabile ef-  
 fe, religiosum obligatum non esse bona sic acquisita  
 applicare dictæ Cameræ ante sententiam Judicis, sed  
 posse monasterio cedere, eò quòd, cum constitutio  
 hæc sit lex pœnalis privans religionem jure quasito,  
 non videatur habere vim ante judicis sententiam,  
 pro ut indicant verba dictæ constitutionis: *Quibus*  
*in vita privati fuerunt;* nempe per sententiam. In-  
 super statuit Gregor. XIII. in Bulla sua. *Officii nostri.*  
 Ut bona quocumque modo acquisita à regulari extra  
 claustrum degente, etiam cum legitima venia sui  
 prælati, pertinere ad Cameram Apostolicam, nec  
 monasterio alterive operi pio adjudicari posse, cujus-  
 quoque Bulla meminit Barbof. *in c. fin. h. r. n. 15.* ex-  
 pressè dicens de ejectis, quòd undecunque acquisita  
 ab iis cedant Cameræ Apostolicæ post eorum obi-  
 tum, si decedant extra religionem. Pro eo verò, num  
 monachi fugitivi bona, quæ sub habitu clericali mul-  
 ta acquirunt, subjecta sunt spoliis Cameræ Apostoli-  
 cæ, remittit ad Ricc. *in praxi aur. resol. 389. per eo-*  
*ram.* De cætero quòd dictum in antecedentibus de  
 libera administratione, quam habet ejectus à se ac-  
 quisitorum, non extendere se eam ad usus vanos &  
 illicitos; id ita admittunt Mol. *tom. 2. tr. 2. de just. d.*  
*276. vers. quod ad ceteros. Less. l. c. n. 113.* ut in istius-  
 modi usus ab iis facta distributio nihilominus valeat,  
 dum usu receptum, sic ab iis accipientes non obliga-  
 ri ad restitutionem contrarium, nimirum aliter di-  
 stributa ab iis, quàm in honestos usus esse obnoxia re-  
 stituiti, tenente Castrop. *cit. p. 19. n. 9.* eò quòd cre-  
 dendum non sit, religionem vel Ecclesiam, cui ea  
 bona quò ad Dominium & proprietatem compe-  
 tunt, concedere illis administrationem in quoscun-  
 que usus etiam vanos; cum hic concessionis modus  
 nec necessarius sit, nec decens.

Quest. 868. An religio teneatur reddere  
 ejectis donata sibi ab iis?

Resp. Non teneri religionem ea bona, quæ justè  
 expulsus in eam contulit absolutè per modum  
 cujusdam liberalis elemosynæ (uti contulisse cen-  
 setur, si ea contulit, nullâ adjectâ conditione, neque  
 enim cenferi potest sub ea conditione donasse; si in  
 religione permansero, cum animum habuerit sem-  
 per in ea perseverandi, nec quicquam de deserenda  
 illa cogitaverit, jusque ipsum hunc animum perse-  
 verandi præsumat, adeoque dicta conditio in ta-  
 li donatione non imbibatur ut Castrop. *l. c. p. 17.*  
*§. 2. n. 3. juncto num. 6.)* potius reddere, quàm  
 pauperes vel hospitale, si illis donasset. Sequitur  
 ex dictis à potiore ex eo, quòd nequidem juxta  
 probabiliorem religio prior transiturò licitè ad aliam  
 reddere teneatur sibi ab eo donata conferenda ad  
 secundam religionem, ut dictum *præcedente cap. &*  
*tenent Mol. tom. 1. de just. d. 140. vers. quando re-*  
*ligiosus.*

L III

*ligiosus*. Azor. *cit. l. 12. c. 15. q. 3. & c. 16. q. 8.* Sanch. *l. 7. mor. c. 32. n. 8.* Suar. *l. c. r. 8. l. 3. c. 14. n. 5.* Castrop. *Loc. proxime cit. n. 3.* His non obstante, quod soluto matrimonio rato per professionem religionis aut dispensationem pontificiam dos sponsæ reddatur, cum ea illi reddatur, quia ejus dominium semper retinuit. Atque ita in specie ut idemp. *18. n. 2.* & latius, Suar. *l. c. an. 22.* societas non professis ab ea dimissis, si quæ ab illis donata accepit, ex rigore justitiæ reddere non tenetur, quia ea donata sine omni spe recuperationis, qui modus donandi religiosi societatis convenientior est, ut ait Castrop. ne liberius vivant, sperantes se non dimitte-  
ndos ob non reddenda bona donata. Quin & Societati magis expediens ut possit liberius discipulos dimittere, quamvis tamen, ut iidem, societas ex æquitate soleat bona aliqua ab iis accepta reddere iidem, præcipue si iis ad sui sustentationem egeant.

**Quæst. 869. Num fugitivos & ejectos iuste religio teneatur alere.**

**1. Resp.** Primò: Tametsi fugitivos & apostatas per se loquendo alere teneretur religio, quia sub ejus cura & potestate existunt, ut Castrop. *cit. p. 18. n. 3.* ob malitiam tamen eorum, dum malitiosè se monasterii servitio & gubernatione, ob quæ eis debita alimenta, subducunt, monasterium ab hac obligatione liberari tenet. Idem. item Sanch. *l. 6. c. 9. n. 21.* Pirh. *h. t. n. 191.* Wiestn. *n. 170.* Tambur. & alii. Idque exemplo filii, quem à consortio suo malitiosè discedentem non tenetur alere pater, ut Pinell. *in l. 1. c. de bon. mater. p. 1. n. 54.* Surd. *de Aliment. lit. 7. q. 7. n. 1.* item uxoris culpâ suâ divertentis à marito, quam is alere non tenetur ut cum Gl. *in c. significasti. de divor. v. materiam.* Palacios *in rub. de donat. inter vir. & uxor. §. 64. a. n. 6.* quin & ut Wiestn. cum cit. Gl. & AA. expediat Prælatum ad hoc, ut necessariis vitæ subsidiis deficientibus, pœnitentiæ & reditibus consilia capiant.

**2. Resp.** Secundò: Sed neque iuste ejectos (secus est de injuste ejectis, utpote qui possessione jurium per professionem quæstorum indebitè spoliatus non excidit jure percipiendi alimenta à monasterio) alere tenetur; cum à cura & gubernatione religionis in gravis delicti & incorrigibilitatis pœnam sunt exclusi. Surd. *l. c. q. 35. n. 1.* Sanch. *n. 20.* Barbof. *in c. fin. h. t. n. 4.* Wiestn. *l. c.* Quòd si tamen fugitivus aut ejectus in alio Monasterio ejusdem ordinis est collocatus, huic aut priori monasterio atulit bona, æquum est, ut ex iis alatur. Pirh. *n. 191.* Barbof. *l. c. n. 21.* juxta *c. de lapsis. caus. 16. q. 6.* & si utriusque attulit quid modicum, utrumque contribuere debet, ut Barbof. *l. c.* cum Rodriq. & aliis. Si verò non atulit bona vel non sufficientia pro sui alimentatione secundo monasterio, adhuc alendus expensis prioris monasterii, & si illud non habeat, tunc eum alatur, alere eum debet secundum monasterium; ita Pirh. & Barbof. *ll. cit.* citatis Host. *in c. fin. h. t. n. ult.* Abb. *ibid. n. ult.* Butrio *n. 14.* Cardin. *n. 2. q. 10.* Anchar. *n. 9.* Azor. *cit. l. 12. c. 17. q. 3.* quòd tamen postremum, præsertim si secundum monasterium sit diversi ordinis, non probat Castrop. *cit. p. 18. n. 4.* citans pro se Gl. *in c. si quis raptaverit. 16. q. 6. v. cautiore.* Sylv. *V. apostasia. q. 9. n. 12.* Covar. *de testam. c. 1. n. 20.* Molin. *som. 1. de just. d. 140. vers. quando relig.* Sanch. *cit. c. 32. n. 46.* Suar. *cit. l. 3. c. 14. n. 11.* eò quòd æquum non sit monasterium vel religionem alienam gravari ob religiosi sibi non competentis delicta. Neque placet ei limitatio, quâ aliqui limitant hoc ipsum, minime, quòd secundum monasterium teneatur eum alere si obsequia ab illo & eidem præstita æqui-

valeant alimentis, ut Sanch. *l. c.* eò quòd secundum monasterium non teneatur ea obsequia loco alimentorum acceptare. Unde rectius addit Pirh. *l. c.* in eo casu, dum neutrum monasterium eum alere potest; generalem vel capitulum generale providere debere, ac imperare alicui monasterio (intellige sui ordinis sufficienti ad hoc) aut autoritate à papa sibi delegata alteri monasterio ut fugitivum & ejectum recipiat ad agendam pœnitentiam, eique ex misericordia alimenta præstet, si aliunde ea habere non potest. Vel denique Episcopum in defectu aliorum mediatorum teneri subvenire ex generali obligatione, quâ tenetur subvenire pauperibus. ut Sylv. *l. c. q. 10.* Azor. *l. c. c. 17. q. 3.* Sanch. *cit. c. 9. n. 14.*

**Quæst. 870. An & qualiter religio solvere teneatur quæ fugitivi & ejecti, apostata extra religionem consumplerunt in sui alimentationem, vel alii in eorum reductionem.**

**1. Resp.** Ad primum: Factas à fugitivo & ejecto iuste (secus iterum est de injuste ejectis) expensas in sui alimentationem & hinc contracta ab iis debita solvere non tenetur monasterium; quia eos secundum jam dicta alere non tenebatur Rodriq. *Tom. 1. qq. reg. q. 33. a. 11.* Tamb. *de jur. Abb. Tom. 3. d. 8. q. 5. n. 2.* Castrop. *rr. 16. d. 4. p. 17. n. 2.* Barb. *l. c. n. 4.* Pirh. *cit. n. 191.* Wiestn. *h. t. n. 172.* Quòd si tamen bona ab iis tempore fugæ, ejectionis, apostasie acquisita accipiat monasterium, tenetur ex iis solvere contracta ab illis debita, ut AA. iidem, ne locupletari videatur cum damno aliorum contra *c. locupletari de reg. jur. in 6.* quin & ut Castrop. *l. c.* ipse fugitivus, ejectus, apostata, si habeat suæ administrationi & dispositioni concessa, ex ipsis satisfacere potest & debet creditoribus suis, qui ipsi spe solutionis alimenta subministrarunt.

**2. Resp.** Ad secundum: Factas tamen impensas ab alio quodam in illorum reductionem ad ordinem, tenetur solvere monasterium, etiam dum ei nihil ab iis relictum; quia in monasterii utilitatem factæ sunt, & talis reducens utiliter gessit negotia illius; non secus ac Dominus expensas factas in reductionem servi ad potestatem suam tenetur solvere. Sanch. *cit. c. 9. n. 22.* Castrop. *l. c.* Barbof. *cit. n. 4.* Idem dicens de expensis necessariis, quas fugitivus, ejectus, pœnitentiâ ductus sponte rediens in suum reditum fecit, uti tenetur monasterium solvere, quæ pro eo revocando tenebatur expendere.

**Quæst. 871. Quanam sint pœnae fugitivorum & apostatarum, eorumque, qui ad fugam & apostasiam cooperantur, aut eos recipiunt.**

**1. Resp.** Primò: Fugitivis qua talibus & in discriminatim omnibus nullæ pœnæ, nullaque excommunicatio aut censura ipso jure incurrenda, saltem jure communi statuta. Nav. *comment. 2. de regul. n. 61.* Suar. *cit. l. 3. c. 1. n. 10.* Castrop. *l. c. p. 17. n. 8.* Wiestn. *h. t. n. 148.* nam dum *c. ne cleric. vel monach. in 6.* pœna excommunicationis statuitur demisso habitu fugitivis, ea non imponitur, ob fugam, sed ob dimissionem habitus ut Castrop. *l. c.* quin & solis sine licentia superioris aut consilio majoris partis conventus ad studia literarum dimisso habitu discedentibus, ut Wiestn. Item dum *Extravag. 1. de regul. excommunicantur religiosi sine licentia recedentes & vagantes*, sermò tantum est de recedentibus dimisso vel non dimisso habitu animo transeundi ad alium ordinem, postquam moniti de reditu intra dies 15. à die monitionis non revertantur, cadente excommunicatione super non reditu intra tot dies Castrop. Wiestn. *l. c.*

Item

Item dum in Bulla Pauli IV. quae incipit *divina bonitas*. Variæ statuuntur pœnæ contra temerè vagantes extra religionem non comprehenduntur, nisi solum fugitivi, apostatae, pro ut satis colligitur ex multis repetitio in ea verbo: *apostata*. Ita idem. Uti & ex proamio & tenore Bullæ Pii IV. quae incipit: *sedes apostolica*, & est confirmatoria cit. Bullæ Paulinæ, dum in ea protestatur pontifex se velle contra apostasiam plenius procedere, & eam, quantum est de se, penitus eliminare, adeoque horum pontificum intentio non est, excommunicare simpliciter fugitivos. Ita Suaz. *l. c. c. 2. n. 13*. Sanch. *in sum. l. 6. c. 8. n. 10*. Castrop. *Wiestn. ll. cit. Dixi* tamen: de jure communi; vi enim juris specialis & specialium privilegiorum cuius ferè religioni concessorum fugitivos & apostatas ipso jure incurrere excommunicationem ait Reiffens. *h. t. n. 255*. citatis Casarub. *in compend. v. fugitivus*. Donat. *Tom. 1. tr. 7. n. 25*. Pelliz. *Tom. 2. tr. 8. c. 8. n. 49*. Varia istiusmodi privilegia & Bullas pontificias adducentibus. Quamvis Castrop. *l. c.* dicat an ex constitutionibus in favorem aliquarum religionum editis fugitivi non apostatae excommunicentur aliisque pœnas incurrant, non esse suum definire, sed ab unoquoque desuper suas constitutiones examinandas. Sed neque ex eo, dum istiusmodi Bullæ utuntur verbo generali: *recedere, dimittere, desicere à religione*, satis colligi, comprehendi simpliciter fugitivos non apostatas; cum hi religionem non simpliciter dimittant aut ab ea recedant, sed ad tempus (nisi fortè post discessum animo mutato cogitent absolute non redire, & eo animo habitum dimittant) & pœnæ non sint extendendæ. Unde Sanch. *l. c. c. 7. n. 11*. censet, excommunicationem aliisque pœnas latas contra recedentes à societate in Bullis Pauli III. Pii V. Gregor. XIII. de quibus *Compend. privileg. Societ. V. apostata*, solos fugitivos apostatas comprehendendi, contrarium tamen sentiente Suaz. *cit. l. 3. c. 2. n. 16*.

2. Resp. Secundò: Tametsi spectando specialia religionum constitutiones & privilegia, ferè in omnibus religionibus excommunicatio Pontifici vel Generali reservata aliisque pœnæ & inhabilitates ad officia ordinis sint statutæ ut Castrop. *cit. p. 16. n. 13. in fine*. verè tamen apostatis, si jus commune spectetur, nullas pœnas aut censuras ipso jure latas statutas cum Nav. *l. c. n. 61*, & Suaz. *l. c. c. 1. n. 10. § 31*. tradit Castrop. *cit. p. 16. n. 10*. contrarium asserente Reiffens. *n. 256*. & adducente *c. fin. de apostatis*. Juxta quod suscipiens in Apostasia Ordinem sacrum (secus est de suscipiente Ordines minores) est suspensus ab executione ordinis, non cessante etiam hac suspensione ob reditum illius ad religionem sine dispensatione Apostolica, ita tamen, ut citra illam, si nullum in apostasia recepit ordinem sacrum, reditu ad ordinem sit habilis ad suscipiendos & exercendos. Ut Castrop. *n. 12*. Verùm ad id respondet idem hanc suspensionem non impositam ob crimen apostasie; sed ob crimen receptionis ordinum sacrorum in eo pravo & infami statu. Item adducente *c. fin. dist. 50. § c. cum illorum de sent. ex com.* vi quorum textuum sint irregulares. Item Concilium Trident. *sess. 25. de regul. c. 19*. ex quo desumpto argumento, dum ibi dicitur; *interim nullo sui ordinis privilegio juventur*; priventur privilegiis ordinis, quàm diu in apostasia perseverant. His adde, quòd Paul. IV. in cit. sua Bulla à religione suspendit in perpetuum ab omni ordinis Ecclesiastici executione, ab omni gradu, omnibusque beneficiis obtentis & eorum fructibus ac insuper inhabiles reddit ad quoscunque gradus & beneficia imposterum obtinenda, quæ ipsa admittit

R. P. Laur. Jur. Can. Lib. III.

Suar. *l. c. c. 2. n. 12. § seq.* Verùm ait Castrop. teste Sanch. *l. 6. sum. c. 8. n. 30*. hanc Bullam non receptam.

3. Resp. Tertio: De cooperantibus ad apostasiam, apostatamque recipientibus, idem dicendum, quod de apostatis ipsis; nimirum jure communi nullas latas contra eos pœnas; spectatis tamen privilegiis particularibus religionum, excommunicationem ipso facto incurrendam statutam esse, puta ab Innoc. IV. Leone X. Julio II. ut habetur *in compend. privileg. mendicantium V. apostata. §. 8. & speciatim in compend. privileg. Societ. §. 3.* ubi expressè: *Per privilegium concessum Eremitanis S. August. nostri ab ordine recedentes, nisi post mandatum cujusvis superioris eis dem factum intra dies octo proximos ad obedientiam redierint, excommunicationis lata sententia panam incurrunt, soli summo pontifici reservatam; eidemque sententia subjacent omnes, qui eis auxilium, consilium, favorem præstiterint.* Item §. 4. ubi: *Per privilegium concessum Minoribus ab Innoc. IV. qui retinent nostros sine licentia recedentes ipso facto sunt excommunicati, constat ex eodem compendio privileg. mendicantium, hoc haberi per Bullam authenticam.*

Porro cooperatio in ordine ad hanc pœnam, est duplex; positiva & negativa; positive quis dicitur cooperari fugæ & apostasie, suadendo, consulendo, approbando, eam recipiendo, occultando, defendendo fugitivum. Quod tamen postremum sic distinguit Castrop. *l. c. p. 18. n. 1*. ut procedat & peccetur graviter, adeoque incurri videatur dicta excommunicatio, si receptione hac, sustentatione, occultatione, defensione fugitivus firmetur in sua apostasia; secus, si per eam non firmetur, nullaque majore in ea perseverantia causetur, sic apostasie cooperari aliquem, ex eo non satis colligi, cum Suaz. *cit. c. 3. n. 2*. ait Castrop. si fugitivus recipiatur hospitio & sustentetur causâ amicitie, consanguinitatis, gratitudinis, alioque honesto fine, cum istæ actiones ex tali fine susceptæ nimis indifferentes, ut ad perseverantiam in apostasia fovendam conducere possint, sicut foveret eam, si fugitivo suppeditaretur pecunia, equus aliave, ut commodius fugeret, ut Suaz. *l. c.* Idem de occultatione illius dicendum, non dici cooperationem, aut peccari per eam, si aliis à religione sua occultaretur, ne ipse ejusque religio detrimentum honoris pateretur; secus si occultaretur religiosi sui ordinis, maxime prælatis, ne caperetur & reduceretur ab iis. Nisi fortè occultaretur eâ intentione, ne ista occasione capiatur, dum speratur reducendus postmodum minore cum dedecore minori que pœnâ ut Suaz. & Castrop. *ll. cit.* Idem dicendum de defensione illius, si defendatur, ne ab aliis injuriatur; secus, ne capiatur à prælato ejusve vices gerentibus, ita etiam ut non excusetur, eum ab iis defendens vi, spe aliâ vice commodius & decentius reducendum; cum non facienda mala (quale est vi resistere prælatis, eum reducere volentibus) ut evaniant bona. Castrop. De cetero cooperari negative, ut dum apostasia non impediretur ab aliquo, qui id posset, etsi peccatum grave sit contra caritatem, quâ quilibet obligatus est malum proximi, præsertim spirituale, dum commodè, hoc est, sine suo detrimento potest; taliter inquam cooperari, non videtur obnoxium excommunicationi. Magis fortè dubitari posset, si non impediendo apostasiam peccaret contra justitiam, dum nimirum ex officio suo vel contractu inito ad hoc tenebatur; quia talis adhuc potius censetur moraliter cooperari. Qualiter verò, qui ad apostasiam cooperatus est, teneatur ad satisfactionem & restitutionem, vide Castrop. *l. c. à n. 3.* fusè id examinantem.

LIII 2

TITU-